QUOMODO

LATINA LINGUA

USUS SIT

S. HILARIUS

PICTAVIENSIS EPISCOPUS

QUOMODO

LATINA LINGUA

USUS SIT

S. HILARIUS

PICTAVIENSIS EPISCOPUS

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PICTAVIENSI

J.-A. QUILLACQ

TOURS

ALFRED CATTIER, ÉDITEUR

PARIS, LIBRAIRIE L. CARRÉ, RUE BONAPARTE, 57

1903

HONORATISSIMO

Seminarii minoris Aturensis

MODERATORI

ET

DILECTISSIMIS SODALIBUS

D. D. D.

Nemo videtur adhuc operam dedisse ut penitus cognosceret quomodo latina lingua usus sit S. Hilarius Pictaviensis episcopus: qui in ea re versatus est, *J. Stix*, librum *de Trinitate* tantum exploravit[1]. Adde quod de *syntaxi* non modo multa prætermisit, sed etiam ex iis quæ notatione digna esse putavit, nonnulla a communi consuetudine discedere non videntur; in excutiendis autem vocabulis minime detentus est.

Quod nemini placuit, id perficere conatus sum. Profecto mihi tantum non sumo ut putem expletum omnibus suis partibus hoc opus fore; immo haud scio an parum sapienter faciam qui non dubitem rem suscipere quæ tantum difficultatis et laboris habeat; itaque aliquid et multa forsitan requiras.

Quod vero sit meum propositum, abjecta omni cunctatione exponam.

Primo agam de vocabulis et enumerabo : *a*) ea quæ non reperiuntur apud scriptores qui a Cicerone ad Apuleïi et Frontonis tempora *solutam* tantum *orationem* adhibuerunt; *b*) ea quibus usi sunt optimi scriptores, sed in quibus nova sententia subjecta est.

Deinde dicam de vocabulorum complexione seu de *syntaxi*, et ea notabo quæ a communi consuetudine

1. J. Stix, *Zum Sprachgebrauch des Hilarius von Poitiers in seiner Schrift* De Trinitate; Rottveil, 1891.

sine controversia discedunt, vel communi consuetudini non satis obsequuntur.

Denique disseram de scribendi genere, quod cuivis de rebus grammaticis agenti prætermittere sane non licet.

Quo felicius rem gerere possem, magnam utilitatem cepi ex his duobus libris :

Gœlzer, *Etude lexicographique et grammaticale de la latinité de saint Jérôme;* Paris, Hachette, 1884;

Rœnsch, *Itala und Vulgata;* Marburg, 1875; quibus non possum quin addam :

Dræger, *Historische Syntax der lateinischen Sprache ;* Leipzig, Teubner, 2ᵉ éd., t. I, 1878 ; t. II, 1881 ;

Ebert, *Histoire de la littérature du moyen âge en Occident;* Paris, Leroux, t. I, p. 147-155 ;

Freund, *Lexique latin*, 3 vol. ; Paris, Didot, 1865;

Gœlzer, *Grammaticæ in Sulpicium Severum observationes ;* Paris, Hachette, 1883;

Krebs-Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache;* Bâle, 1886-1888 ;

Kühner, *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache ;* Hannover, 1878;

Neue-Wagener, *Formenlehre der lateinischen Sprache;* Berlin, 1888-1897 ;

Régnier, *De la latinité des Sermons de saint Augustin;* Paris, Hachette, 1886 ;

Riemann, *Syntaxe latine*, 4ᵉ éd.; Paris, Klincksieck, 1900;

Stix, *Zum Sprachgebrauch der Hilarius von Poitiers in seiner Schrift* de Trinitate; Rottveil, 1891 (Programm des Königlichen Gymnasium).

Quod ad varias Hilarianorum scriptorum editiones attinet, quæ ceteris præstant, hæ sunt :

Princeps, Lutetiæ Parisiorum, 1510;

Basileensis (D. Erasmi opera), 1523;

Parisiensis (Ludovici Miræi opera), 1544;

Benedictina (D. Coustantii opera), 1694, multo præstantior;

Veronensis, id est *Benedictina* leviter emendata, 1730:

Migniana, quæ *Veronensem* reddit nonnullis locis inculcatam[1] (*Patrol. lat.*, IX-X, 1844-45).

Huic vero primas detuli, nisi quod *Tractatum super Psalmos* a D. Zingerle nuperrime editum[2] pro Migniano subjeci[3].

Hæc autem S. Hilarii scripta exploravi :

1° *Tractatus super Psalmos :* Zingerle, *Corpus scriptorum Eccles. Acad. Vindobon.*, vol. XXII, p. 1-872[4];

2° *Commentarius in Matthæum :* Migne, *Patrol. lat.*, IX, col. 918-1018;

3° *De Trinitate*, libri XII : Migne, X, col. 25-472;

4° *Liber de Synodis :* Migne, X, col. 479-546;

5° *Apologetica ad reprehensores libri de Synodis responsa :* Migne, X, col. 546-548;

6° *Libri duo ad Constantium Augustum :* Migne, X, col. 557-572;

7° *Liber contra Constantium :* Migne, X, col. 577-606;

8° *Liber contra Arianos vel Auxentium :* Migne, X, col. 609-618;

1. His adde editionem libelli qui inscribitur : *Tractatus de Mysteriis et Hymni sancti Hilarii et sanctæ Silviæ peregrinatio*, et ex Aretino codice a *Gamurrini* depromptus est (Romæ, 1887).

2. Sancti Hilarii episcopi Pictaviensis, *Tractatus super Psalmos* Vindobonæ; Tempsky, 1891.

3. Quanquam *D. Zingerle* unum ex vetustissimis codicibus id est *Lugdunensem* in manibus non habuit, illibata tamen manet hujus editionis auctoritas, ut liquet ex libello quem idem *Zingerle* de hoc codice postea conscripsit. Cf. Der *Hilarii codex von Lyon* (*Sitzungsberichte der Kais. Akademie der Wien*, Band 128; Wien, 1893).

4. Prætermisi *Exempla tractatuum mutilatorum vel Hilario falso adscriptorum* quæ in *Appendice* (p. 872 et seq.) continentur.

9° *Fragmentum primum ex opere historico:* Migne, X, col. 627-631;

10° *Fragmenta ex aliis sancti Hilarii operibus :* Migne, X, col. 723-726;

Quem indicem a Migniano differre fateor; quosdam enim libros prætermisi nempe :

Commentarium in Psalmos 15, 31, 41 : Migne, IX, col. 890 et seq.;

Epistulam ad Abram filiam : Migne, X, col. 549-552;

Hymnum eidem ab eodem missum: Migne X, col. 551-554;

Fragmenta ex opere historico: Migne, X, col. 632-724;

Epistulam seu *libellum :* Migne, X, col. 733-750;

Sermonem de Dedicatione Ecclesiæ : Migne, X, col. 879-884.

Quos cum a S. Hilario conscriptos esse non constet[1], ex iis nihil excerpendum esse arbitratus sum.

1. Cf. Schnœmann *Biblioth. Patr.*, I, p. 273-294; — Migne, *Patrol. lat.*, t. IX, col. 890-891, et t. X, col. 547-548 + 553-554 + 620-624 + 727-734 + 877-880; — Bardenhewer, *les Pères de l'Eglise*, t. II, p. 270-284; — D. Ceillier, *Hist. génér. des Auteurs sacrés*, t. IV, chap. I, art. X, p. 63, note 2, et art. XI, p. 66.

De opusculis autem quæ Card. Pitra (*Spicileg. Solesm.*, p. 49-170; Paris, 1852), Card. Maï (*Nova Patrum Biblioth.*, t. I, p. 477-490; Romæ, 1852), Fr. Liverani (*Spicileg. Liberianum*, p. 113-114; Florentiæ, 1863), a S. Hilario conscripta esse temere arbitrantur, cf. Teuffel, *Hist. de la littér. rom.*, t. III, p. 155; Bardenhewer, *les Pères de l'Eglise*, t. II, p. 159 et p. 162; D. Ceillier, *Hist. génér. des Auteurs sacrés*, t. VIII, chap. IV, n° 14; et *Appendice*, art. III.

PROŒMIUM

Qui quondam res Gallorum attigerunt, eos memorant fuisse ingenio promptos, et orationis cum nitore tum copia excelluisse[1].

Quas animi dotes natura habuit S. Hilarius qui in oppido aut saltem in agro Pictaviensi natus erat; etenim in rebus penitus abditis summo cum honore sese exercuit, et suo dicendi genere dignus visus est qui *latinæ eloquentiæ Rhodanus*[2] appellaretur.

In lucem susceptus est incepto haud ita pridem quarto post Christum natum sæculo, ex parentibus *ethnicis* ortus ut confici potest ex primo opusculi *de Trinitate* libro, in quo narrat qua fortunæ varietate a pravo deorum cultu ad christianam religionem traductus sit[3].

Ex eo autem quod *ethnicus* erat et ingenio promptus confici etiam potest ut totum se in optimarum artium studio collocarit; quod haud scio an evenisset, si coluisset a puero christianorum disciplinam, cum neminem fugiat multos inter christianos exstitisse eosdemque gravissimos qui omnem despicerent liberalem doctrinam, quam cum Christi doctrina nullo modo esse posse arbitrarentur[4].

1. Cf. Diod. Sic., V; — Caes., *Bel. Gall.*, VII; — Hieron., *Epist.* 95
2. Hieron., *Comment. in Epist. ad Gal.*, lib. II.
3. Cf. *De Trinit.*, I, 3-10.
4. Cf. Tert., *De Spectac.*, XVIII : « Doctrinam sæcularis litteraturæ et stultitiæ apud Deum deputatam aspernamur. »

Quo loco magistris usus sit ambigitur; veri tamen simile est eum, studendi causa, Pictavii mansisse, quippe cum in ea civitate non secus atque in præcipuis Galliæ civitatibus discendi ludus esset; Ausonius enim qui fuit temporibus iisdem quibus S. Hilarius, duos nominatim profert nempe grammaticum Anastasium et rhetorem Rufum qui, dum ipse vivebat, dicendi præcepta Pictavii tradebant[1].

Ad quos autem inter veteres scriptores studia inclinaverit, ex scriptis ejus quæ non exciderunt colligi non potest. Fateor quidem sanctum Hieronymum hæc habere : « Hilarius... duodecim Quintiliani libros et stilo imitatus est et numero[2]. » Verum hoc neque in dubium vocari potest cum non supersint omnia S. Hilarii scripta, neque contra pro certo haberi, cum ex iis quæ supersunt, verum dixisse S. Hieronymum ostendi non possit.

Neque versatus est tantum in studio litterarum latinarum quibus maxime ad humanitatem *Gallo-Romani* informabantur, sed ad græcas etiam animum intendit; incredibile enim est res aliter se habuisse, cum Romani græcis institutionibus tam valde delectarentur atque in scholis civitatum temporibus illis essent magistri qui græcas litteras docerent[3].

Ceterum a S. Hieronymo accepimus eum græcas litteras didicisse[4] ; quod insuper ex ejus scriptis colligi potest, ut infra videbimus.

Præterea philosophiæ operam dedit; quod mirum tibi sane non videbitur, si attendas S. Hilarium natura,

1. Auson , *Profess.*, X ; — *Epigr.* 51.
2. Hieron., *Epist.* 83, *ad Magnum.*
3. Auson., *Profess.*, VIII.
4. Hieron., *Vir. illust.*, 100; — *Epist. ad Pammach.*; — *Contra Rufin.*, I.

ut ita dicam, coactum esse rebus occultis et penitus abditis mentem applicare; ceterum singulis priscorum philosophorum de natura deorum doctrinis eum eruditum esse omnibus perspicuum est[1].

Denique ad Sacræ Scripturæ studium se contulit, prius etiam quam Christum assectatus est, quippe cum ad ipsum a cultu deorum avocandum assiduam Sacræ Scripturæ lectionem magnam vim habuisse compertum sit[2].

Ubi vero christianis consociatus est, utpote omnis officii diligentissimus et de novæ religionis commodis plurimum cogitans, omnium in se ora mox convertit; paucique tantum anni intercesserant cum Pictaviensis episcopus creatus est. Quo ex tempore, ut munere suo laudabiliter fungeretur, ea necessitate constrictus est ut Sacram Scripturam diligentius cognosceret, eamque adeo studiose exploravit ut præcipua ejus scripta nempe *Tractatus super Psalmos*, *Commentarius in Matthæum*, *Liber de Trinitate*, ingenti locorum ex utroque Testamento excerptorum copia repleta sint.

Cui Sacram Scripturam perlegenti sane sub manu fuit eadem in latinum conversa; quas vero inspexerit translationes sine mora exponam.

Neminem sane fugit *Testamentum* et *Vetus* et *Novum* partim hebraïce partim græce primo exaratum, latine ab initio Ecclesiæ redditum esse, ad obsequendum eorum voluntati qui latine tantum scientes, divina scripta in patriam linguam conversa legere cupiebant. Quæ a multis conversa esse et dissimili vocabulorum contextu, vero proximum est[3]. Sed ex iis translationi-

1. *De Trinit.*, I, 4.
2. *De Trinit.*, I, 5.
3. Cf. Bonnet, *le Latin de Grégoire de Tours*, p. 54; — S. Berger, *Bullet. crit.*, 15 septembre 1884, p. 363.

bus una ceteris præstantior visa est, id est *Itala*, de qua hoc S. Augustinus judicium facit : « In ipsis autem interpretationibus *Itala* ceteris præferatur, quia est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ[1]. »

Italam autem in S. Hilarii manus venisse pro comperto afferre ausim ; quod ex *Tractatu super Psalmos* colligi potest.

S. Hieronymus, ut inter omnes constat, *Psalterium Italæ* bis emendavit; sed primum paucissima tantum in eo mutasse perhibetur. Emendatum vero hoc modo *Italæ Psalterium* vocatur *Romanum*, ut discernatur ab eodem Psalterio quod rursus ac politius limatum *Gallicanum* posterius vocatum est.

Atqui *Psalterium Romanum* quod pæne unum et idem est ac *Psalterium Italæ* fere ad verbum reddit Psalterium a S. Hilario transcriptum ; quod sane fidem facit et S. Hilarium et S. Hieronymum eamdem translationem in promptu habuisse[2] ; ceterum id non impedimento fuit quominus S. Hilarius qui Sacræ Scripturæ doctrinam diligentissime cognoscendi cupidus erat,

1. Aug., *De Doctr. christ.*, II, 15.

2. Quo dilucidiora ea cernantur Psalmum 138 qualis perscribitur apud S. Hilarium, eidem Psalmo qualis est in Psalterio Romano conferre juvat.

Psalm. 138. Apud S. Hil.	Psalm. 138. In Psalt. Rom.
Domine probasti me et cognovisti me; cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.	Domine probasti me et cognovisti me; *tu* cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.
Intellexisti *omnes* cogitationes meas; a longe semitam *meam* et directionem meam investigasti ; et omnes vias meas prævidisti ; quia non est dolus in lingua mea.	Intellexisti cogitationes meas ; a longe semitam et directionem meam investigasti ; et omnes vias meas prævidisti ; quia non est dolus in lingua mea.
Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua.	Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua.
Tu formasti me et posuisti super me manum tuam.	Tu formasti me et posuisti super me manum tuam.
Mirabilis facta est scientia tua ex me ; confortatus est, *non* potero ad	Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortatus est, *nec* potero ad eam.

alias translationes adiret, ut ipse in multis locis aperte significat[1].

Neque latinas tantum adiit, sed etiam græcas, quas iterum ac sæpius cum græcis litteris etiam perscribit[2]. Ex translationibus vero græcis, eam quæ dicitur *septuaginta interpretum* ceteris anteponit; quæ si quando inter se dissentiunt, huic primas non dubitanter defert[3]. Immo in manus sumpsit *Aquilam* Judæum qui post Christum natum Vetus Testamentum ex hebræo in græcum ex parte convertit[4].

Insuper scriptores qui *Patres Ecclesiæ* appellantur studiose lectitasse S. Hilarium constat; primo antequam exsilio multatus est; deinde dum exsulabat.

Antequam autem in exsilium profectus est, Origenis præsertim libros evolvit, quippe cum in suo *in Matthæum Commentario* artem sequatur interpretandi in

eam. Quo ibo a spiritu tuo et *a facie tua quo* fugiam.

Si ascendero in cælum tu illic es; si descendero in infernum ades.

Si sumpsero pennas meas ante lucem et habitavero in *postremis* maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua... etc.

Quo ibo a spiritu tuo et *quo a facie tua* fugiam.

Si ascendero in cælum tu illic es; *et* si descendero in infernum ades.

Si sumpsero pennas meas ante lucem et habitavero in *postremo* maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua... etc.

1. *In Psalm.* 118, 8, 1 : « *Plures* Psalmorum *codices* legentes et nos ita opinabamur versum qui octavæ litteræ primus est. »

In Psalm. 118, 10, 3 : « Uti et ipse prophetæ voce poterit dicentis : manus tuæ fecerunt me et præparaverunt me ; et in *aliquibus codicibus* ita scriptum deprehendimus : manus tuæ fecerunt me et finxerunt me. »

In Psalm. 131, 24 : « Dehinc sequitur : viduam ejus benedicens benedicam ; *quidam translatorum* interpretatus esse repertus est : captionem ejus benedicens benedicam. »

Cf. *In Psalm.* 133, 4 ; — *In Psalm.* 138, 37 ; — *In Psalm.* 146, 10.

2. Cf. *In Psalm.* 51, 12 ; — *In Psalm.* 56, 1 ; — *In Psalm.* 65, 3 et 12 ; — *In Psalm.* 118, 4, 6, etc.

3. *In Psalm.* 118, 4, 6 : « De consequenti versu comperi multos varia sensisse eo quod non eadem proprietate a ceteris translationibus ex hebræo demutatus esset ut ab his *septuaginta interpretantibus* conscriptus est... sed nobis *neque tutum est translationem septuaginta interpretum* transgredi. »

4. *In Psalm.* 59, 1 : « Secundum *Aquilam* qui translator legis Judæis post passionem Domini fuit, ita scribitur. »

qua versatus est Origenes, id est rem alterius rei signum habeat.

Quod ad latinos spectat, S. Cypriano certe usus est, ut ab ipso accepimus[1]. Tertullianum autem non minus studiose perlegit; cum vero hic a recta via deflexerit, et perversis opinionibus quædam ejus scripta vitientur, non modo ab istis cavet S. Hilarius, sed ab iis etiam quæ omni reprehensione carent[2].

Dum vero exsulabat, cum Phrygiam incoleret in qua græca tunc homines utebantur lingua, græcas litteras penitus exploravit; primo quia occupatus erat in refellendis Arianorum commentis quæ in Oriente præsertim longe lateque diffusa erant et scriptis græce exaratis divulgata; deinde quia ea lingua uti coactus est ut in colloquium cum iis cotidie veniret inter quos versabatur, et maxime ut is esset qui posset egregie tueri opinionem suam in conciliis quæ ex *Orientalibus* episcopis tantum collecta erant.

Adde huc quod multum volutatus est in scriptis Patrum Græcorum tum Alexandrinorum tum eorum qui ejus temporibus vivebant; atque ita tam præclara eruditione fuit ut suum potuerit conficere *de Synodis* librum in quo subtiliter discutit fidei formulas quæ ab *Orientalibus* episcopis conscriptæ sunt, et maxime librum *de Trinitate* quo non Arianos tantum sed etiam ceteros hæreticos redarguit, eum nempe librum qui quondam inclytorum virorum movit admirationem et ceteris S. Hilarii scriptis procul dubio præstat[3].

1. *Comment. in Matth.*, V, 1 : « De orationis autem sacramento necessitate nos commentandi *Cyprianus* vir sanctæ memoriæ nos liberavit. »

2. *Ibid :* « Quamvis *Tertullianus* hinc volumen aptissimum scripserit ; sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus aucritatem. »

3. Cf. Barbier, *Saint Hilaire de Poitiers*, p. 155.

Utpote litteris græcis excultus et præterea doctrina christiana eruditissimus, is etiam fuit, postquam in Galliam rediit, ut eximium perscriberet *Tractatum super Psalmos*, cujus tam multa excidisse omnes sane moleste ferunt.

Ut verum tamen loquar, in hoc libro S. Hilarius non nova interpretandi ratione utitur, quippe cum non secus atque in *Commentario in Matthæum* ab *allegorica*, ut aiunt, interpretatione non discedat. Sed hoc inter *Tractatum super Psalmos* et *Commentarium in Matthæum* interest quod hic simplex est plerumque ac nudus, ille vero omnibus orationis ornamentis sæpe illustratur; oratoris enim vim et facultatem in eo *Tractatu* ostendit, et perspicuum est eam dicendi artem in qua Ecclesiæ græcæ Patres exercitatissimi erant, ejus ingenium aluisse et eloquentiam locupletasse.

Accedit eo quod idem ipse *Tractatus* quanquam ea tantum mente scriptum est ut religioni faveat moresque informet, nonnulla continet quæ tum rerum gestarum scriptores[1], tum philologos grammaticosque[2] attentos non tenere non possint.

Alterum hoc sequitur ex eo quod S. Hilarius *græcochristianis* institutionibus excultus est, nempe inchoatam esse ab eo alteram scriptorum latinorum seriem. Quem qui ætate antecesserunt christiani iidemque

1. Et si quid aliud, lege quæ tradit, — de *septuaginta senioribus* qui libros veteris Testamenti ex hebræis litteris in græcas transtulerunt. *In Psalm.* 2, 2-3 ; — de *Sobal* a quo Syria ad bellum commota est. *In Psalm.* 59, 1 ; — de *peregrinatione David* a Judæis falso credita. *In Psalm.* 131, 11 ; — de *restituta urbe* Jerusalem. *In Psalm.* 146, 1.

2. Quando Sacram Scripturam græcis litteris exaratam, eidem latine redditæ confert, græcorum vocabulorum pondera diligenter examinat atque scienter ostendit quanto aptius quam latinus, sententiam vocabulis hebraïcis subjectam, græcus sermo interpretetur. Cf. *Psalm.* 54, 11 ; — *Psalm.* 65, 12 + 18 + 25 ; — *Psalm.* 118, 4, 12 ; — 118, 5, 1 ; — 118, 15, 4 ; — 136, 10 ; — 138, 43, etc...

latini scriptores, animi cultura alii ab aliis multum dissentiebant. Et vero Minucius Felix et Lactantius cui cum Minucio proxima cognatio est quanquam multo post floruit, informati sunt tantum veterum Romanorum artibus,et quamvis Christi studiosì sint, Stoïcorum disciplinam non omnino ejecerunt; Christum enim sequebantur, quia profitebatur unicum esse Deum et ad miram vitæ sanctitatem homines cohortabatur; sed in numero theologorum rebus divinis eruditorum reponi non possunt, et scribendi genere a veteribus scriptoribus non multum differunt.

At contra Tertullianus et qui ab eo sunt Cyprianus et Arnobius *semitica* et *orientali* imbuti sunt disciplina, atque eam sermonis elegantiam quam prosecutus Minucius Felix ita consequitur ut Frontonem et Apuleium et Aulum Gellium dicendi arte antecellat, superbe Tertullianus contemnit[1] utpote redolentem falsum deorum cultum cum quo aliquam conjunctionem sibi esse moleste patitur.

Quod ad S. Hilarium spectat, non iisdem quibus Tertullianus institutionibus est eruditus, neque tantum ad romanam humanitatem informatus ut Minucius Felix et Lactantius; sed in eo ingenium cum romanum tum *græcochristianum* quadam societate primum junguntur.

Quamobrem novum rerum ordinem, ut ita dicam, instituit; etenim latinos docuit theologorum *Alexandrinorum* disciplinam sectari, id est *allegorica* interpretatione uti in explananda Sacra Scriptura atque ad altissimarum rerum contemplationem se erigere; et revera S. Ambrosius et S. Hieronymus et S. Augus-

1. Cf. p. 5.

tinus et omnes ævi medii theologi, ejus vestigia persecuti sunt[1].

Jam si ad rem de qua hic agitur, id est ad verborum compositionem et dicendi formam animum attendimus, dicendum est S. Hilarium ex eo quod *græco-christianis* præceptis imbutus sit, ea necessitate constringi ut orationem perpoliat. Jam ante, ut dixi supra, Minucius Felix sermonis elegantiam prosecutus erat; sed tantum ut suum litterarum et humanitatis amorem satiaret, aut *ethnicos* adduceret ut in disciplinam Christi convenirent. Longius vero progreditur S. Hilarius; profitetur enim christianam institutionem cum sermonis elegantia ita conjungendam esse ut hujusce institutionis excelsitati sermo plane consonet. Itaque existimat ingentem Deo etiam orationis concinnitate a Dei præcone afferendam esse laudem[2]; et cum Deum obtestatur ut sibi adsit librum *de Trinitate* conficienti, petit etiam ut *dictorum honorem* sibi indulgenter concedat[3].

Qua dicendi ratione plurimum etiam apud posteros valuit S. Hilarius; neminem enim præterit S. Hieronymum loquendi elegantiam magni æstimasse, et S. Augustinum eo processisse ut curiosius ac putidius orationem elucubraverit[4].

Jam superest ut dicam quatenus eam assecutus sit quam prosequitur sermonis elegantiam; verum id intellegetur ex iis quæ infra expositurus sum.

1. Cf. Ebert, t. I, p. 159-160.
2. *In Psalm.* 13, 1 : « loquentibus nobis ea quæ didicimus et legimus *sermocinandi honor reddendus est auctori;* sumus enim quoddam Sancti Spiritus organum per quod *vocis varietas* et doctrinæ diversitas audienda est ; vigilandum ergo et curandum est ut *nihil humile* dicamus. »
3. Cf. *De Trinit.*, I, 38.
4. Cf. Régnier, *De la latinité des Sermons de saint Augustin*, p. 115.

PARS PRIMA

DE VOCABULIS

LIBER PRIMUS

DE VOCABULIS QUÆ AB OPTIMA CONSUETUDINE DISCEDUNT

CAPUT PRIMUM

DE NOMINE

1° Nomina e latinis vocibus deducta

a) Nomina cadentia in *-aculum.*

Habitaculum ... conquestum fuisse quod in *habitaculis* Cedar longus ei fuerit incolatus... *In Psalm.*, 119, 20. Gell. Juvc. Tert. Lact. Arn. (Cf. *Rœnsch*, p. 37 ; — *Gœlzer*, p. 91).

Retiaculum ... iniqui *retiaculi* sui laqueos prætendunt... *In Psalm.*, 140, 16. Plaut. (Cf. *Rœnsch*, p. 219).

Signaculum ... *signaculorum* natura ea est, ut omnem impressæ in se speciei explicent formam... *De Trinit.* VIII, 44. Apul. Iren. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 38).

b) Nomina cadentia in *-entia.*

Blandiloquentia ... quo fraudulentæ *blandiloquentiæ* veneno appetitur... *In Psalm.*, 139, 4. Enn. ap. Cic.

Concupiscentia ... crucifixerunt corpus cum vitiis et *concupiscentiis*... *In Matth.*, 10, 25. Tert. Arn.

Desipientia ... nonne ipsum illud acre intellegentiæ lumen, stupor hebetis *desipientiæ* occupabit?... *De Trinit.*, X, 53. Lucr.

Inaudientia ... cum tamen inobœdientiæ atque *inaudientiæ* judicium... Christus auctor accumulet... *In Psalm.*, 2, 44. Cypr. (Cf. *Rœnsch*, p. 221).

Inobœdientia ... cum tamen *inobœdientiæ* atque inaudientiæ judicium... Christus auctor accumulet... *In Psalm.*, 2, 44. Tert. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 217).

Nescientia ... interdum et *nescientia* confitenda est... *De Trinit.*, IX, 67.

Omnipotentia ... non tenuit *omnipotentiæ* suæ in nativitate naturam... *De Trinit.*, X, 47. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 134).

Præscientia ... existimemus in illius temporis homines prophetiæ hujus *præscientiam* convenire... *In Psalm.* 146, 1. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 219).

Suaveolentia ... se nobis in sensum *suaveolentiæ* immittens... *In Psalm.* 140, 2.

c) Nomina cadentia in *-ium.*

Altarium ... protraxerunt de *altario* sacerdotes... *Contra Constant.*, 11. Inscr. anno 191 (Cf. *Gœlzer*, p. 282; — *Rœnsch*, p. 259).

Improperium ... sustinuit ergo *improperium* propter Deum... *In Psalm.*, 68, 9. Iren. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 32; — *Gœlzer*, p. 57).

Insignium ... Cornum regni *insignium* est... *In Psalm.* 131, 27.

d) Nomina cadentia in *-loquium.*

Falsiloquium ... simulatæ religionis *falsiloquia* confirmant... *De Trinit.*, X, 2. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 221).

Multiloquium ... hoc *multiloquio* suo peccator non directus in vitam est... *In Psalm.* 139, 15. Plaut. (Cf. *Rœnsch*, p. 218; — *Gœlzer*, p. 134).

Stultiloquium ... ad *stultiloquia* effervere... *De Trinit.*, X, 70. Plaut. (Cf. *Gœlzer*, p. 134; — *Rœnsch*, p. 220).

Vaniloquium ... contradicendum itaque est... *vaniloquio* seducenti... *De Trinit.*, VIII, 1 (Cf. *Rœnsch*, p. 220).

e) Nomina cadentia in *-or.*

Adorator ... hos igitur esse veros *adoratores*... *De Trinit.*, II, 31. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 55; — *Gœlzer*, p. 46).

Confessor ... *confessorem* suum secum in regno paradisi receptum... *De Trinit.*, X, 67. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 46).

Conscriptor ... psalmorum ex parte *conscriptor*... *In Psalm.* 131, 2. Arn.

Emundator ... prospector et *emundator* et judex est... *In Psalm.* 118, 16, 1.

Factor ... credimus.... in... cunctorum quæ sunt ædificatorem et *factorem... De Synod.*, 29. Plaut. Cat. Tert. Lact.

Interpretator ... linguam ignorantibus, linguæ *interpretator* absolvit... *De Trinit.*, VIII, 30. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 61).

Mediator ... ipso *mediatore* legis rejecto... *In Psalm.* 54, 12. Apul. Tert. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 57; — *Gœlzer*, p. 49).

Negator ... absistite itaque ab Auxentio... fidei *negatore... Contra Auxent.*, 12. Tert. Cypr. (Cf. *Rœnsch*, p. 61; — *Gœlzer*, p. 49).

Operator ... omnem tamen sensum, longe necesse est excedat *operator... De Trinit.*, I, 7. Firmic. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 49).

Peccator ... non terræ *peccator* est ille, sed cœli... *In Psalm.* 118, 15, 12. Tert. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 50).

Persecutor ... dum *persecutores* fiunt prædicatores... *In Psalm.* 138, 27. Capitol. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 50).

Præitor ... venturum ut *præitor* nuntiavit... *In Matth.*, 11, 1.

Præteritor ... *præteritores* legis odit... *In Psalm.* 118, 15, 4.

Prospector ... et *prospector* et emundator et judex est... *In Psalm.* 118, 16, 1. Apul. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 58).

Remissor ... peccati *remissorem* falsi peccati reum arguit... *In Psalm.* 121, 8.

Restaurator ... ad hos eosdem *restauratores* Jerusalem Dominus est locutus... *In Psalm.* 126, 4.

Retributor ... *retributor* ergo uniuscujusque est ille... *In Psalm.* 61, 9. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 61; — *Gœlzer*, p. 51).

Salvator ... Jesum scilicet videre, id est *salvatorem* suum nosse... *In Psalm.* 51, 24. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 59; — *Gœlzer*, p. 51).

Salvificator ... de cœlis *salvificatorem* nostrum exspectamus... *In Psalm.* 131, 26. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 51).

Supplantator ... exposuit Jacob eum, quia *supplantator* fratris sit, nuncupatum... *In Psalm.* 52, 21 (Cf. *Rœnsch*, p. 62; — *Gœlzer*, p. 51).

Transgressor ... diabolus angelique ejus ab initio *transgressores... In Psalm.* 118, 14, 17. Tert. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 51).

f) Nomina cadentia in-*sio*.

Abscisio ... esset autem *abscisio* membrorum utilis... *In Matth.*, 4, 21. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 62).

Circumcisio ... post legis tempora *circumcisionisque* præscripta... *In Psalm.* 67, 17. Tert. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 64).

Compassio ... per *compassionis* fidem, etiam seipso in Domino propheta patiente... *In Psalm.* 56, 7. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 80; — *Gœlzer*, p. 65).

Confixio ... quod in te mors est scripta, *confixio* est... *De Trinit.*, X, 48 (Cf. *Rœnsch*, p. 71 ; — *Gœlzer*, p. 65).

Dimensio ... ubi modus est credentium futurus, illic *dimensionis* examen est... *In Psalm.* 59, 7. Aus.

Dispersio ... magnus est Dominus, cum *dispersiones* congregat... *In Psalm.* 146, 6. (Cf. *Gœlzer*, p. 68).

Excessio ... traditio spiritus morientis *excessio* est... *De Trinit.*, X, 61 (Cf. *Gœlzer*, p. 69).

Jussio ... et *jussio* exsequatur et factum... *De Trinit.*, IV, 21. Arn. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 74 ; — *Gœlzer*, p. 72).

Obtusio ... quæ *obtusio* intellegentiæ est?... *Ad Constant.*, 1, 7. Tert. Lamprid. (Cf. *Rœnsch*, p. 81).

Ostensio ... gloriam adventus sui... indicat... *ostensione* signi salutaris... *In Matth.*, 26, 1. Apul. Iren. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 76 ; — *Gœlzer*, p. 73).

Passio ... post *passionem* Domini congregati consederant... *De Trinit.*, III, 20... *passionibus* humanæ infirmitatis diabolus desæviens... *De Trinit.*, IX, 7... Tert. Arn. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 73).

Præmissio ... ostensurus ... in quem exitum *præmissio* tam subdoli sermonis instruxerit... *De Trinit.*, VI, 11.

Protensio ... non enim per desectionem aut *protensionem*... ex Deo Deus est... *De Trinit.*, V, 37. Apul. (Cf. *Gœlzer*, p. 75).

Refusio ... Filius in Patre et in Filio Pater, non per transfusionem *refusionem*que mutuam... *De Trinit.*, VII, 31.

Transcursio ... per hancque velocem *transcursionem* ædificatio beatæ hujus civitatis est cœpta... *In Psalm.* 147, 4.

g) Nomina cadentia in *-tas*.

Cohereditas ... *cohereditatis* suæ gloriam sine passionis difficultate mereantur... *In Matth.*, 31, 8.

Dealitas ... si quis... *dealitatem* ejus corruptionem... sustinuisse dicat : anathema sit... *De Synod.*, 38.

Dehonestas ... neque formam Dei usurparent ad formæ Dei *dehonestatem*... *De Trinit.*, XI, 6.

Deitas ... indiscreto *deitatis* naturæque nomine... *In Psalm.* 53, 7 (Cf. *Gœlzer*, p. 102).

Falsitas ... spolium se præbet veritas *falsitati*... *De Trinit.*, I, 13. Arn. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 102).

Generalitas ... *generalitas* ergo sententiæ amota est... *In Psalm.* 52, 13

Græcitas ... plerique autem hymnos ex ipsa *græcitatis* usurpatione posuerunt... *In Psalm.* 54, 1 (Cf. *Gœlzer*, p. 102).

Impossibilitas ... ut *impossibilitatem* generationis ejus... consolaretur... *De Trinit.*, II, 21. Apul. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 102).

Informitas ... recipi poterit belluæ ingentis *informitas*... *In Matth.*, 19. 11. Tert.

Innascibilitas ... quia *innascibilitas* sola penes unum sit... *De Synod.*, 60.

Irreligiositas ... hæc ita intellegere... *irreligiositatis* extremæ est... *In Psalm.* 146, 11. Tert. Iren.

Jugitas ... distinxit autem præsens officium ab indefessa illa perpetui officii *jugitate*... *In Psalm.* 118, 6, 7 (Cf. *Rœnsch*, p. 54).

Nativitas ... tenuit autem beatus Apostolus novam hanc in eo temporariæ hujus *nativitatis* discretam... significationem... *In Psalm.* 2, 28. Minuc. — Fel. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 52; — *Gœlzer*, p. 103).

Numerositas ... sobolis *numerositatem* pollicebatur... *De Trinit.*, X, 68. Tert.

Paternitas ... ex quo omnis *paternitas* in cœlo et in terris nominatur... *De Synod.*, 38 (Cf. *Gœlzer*, p. 103).

Postremitas ... nisi in ea totius universitatis *postremitas* erit, non erit finis... *In Psalm.* 9, 2. Tert. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 54).

Puritas ... cum de jejuniorum *puritate* loqueretur, ait... *In Psalm.* 140, 9. Capitol. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 103).

Sollemnitas ... *sollemnitatem* ac lætitiam diei hujus, omnes Judæi in eam gloriantes introeunt... *In Psalm.* 91, 2. Gell. Tert. Solin. Lamprid. (Cf. *Gœlzer*, p. 104).

h) Nomina cadentia in *-tio*.

Abominatio ... *abominatio* ex eo dictus quod... honorem sibi Dei vindicet... *In Matth.*, 25, 3. Tert. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 69; — *Gœlzer*, p. 62).

Abstentio ... *abstentio* superiorum inutilis est... *In Psalm.* 1, 11.

Accinctio ... *accinctio* potentiæ ei quod indigebat corpori cooptatur... *In Psalm.* 64, 9 (Cf. *Gœlzer*, p. 63).

Adimpletio ... cum quando post *adimpletionem* legis in Christo, plebs legis impugnet... *In Matth.*, 12, 13. Tert. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 69; — *Gœlzer*, p. 63).

Adversatio ... cum *adversatio* ejus plena confusionis sit... *De Trinit.*, IV, 41. Tert.

Arguitio ... emendari se justæ misericordiæ *arguitione* fastidiunt... *In Psalm.* 140, 8. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 70; — *Gœlzer*, p. 64).

Benedictio ... in nullo prophetæ officium infirmum est, nec *benedictione*, nec laude... *In Psalm.* 144, 5. Apul. (Cf. *Gœlzer*, p. 64).

Clarificatio ... nec infirmari patitur hæc ipsa *clarificatio* postulata... *De Trinit.*, III, 12. Iren. Cypr. (Cf. *Rœnsch*, p. 80).

Cohabitatio ... si non omnes ad *cohabitationem* Dei eligentur... *In Psalm.* 64, 5.

Combinatio ... at vero *combinatio* consortium factionis... *In Psalm.* 140, 7. Diom.

Concorporatio ... ergo et *concorporationem* Verbi Dei et passionis mysterium... non promiscue tractare nos convenit... *In Matth.*, VI, 1. Tert.

Concrematio ... infructuosarum arborum cæde et *concrematione*... *In Matth.*, 2, 4.

Contuitio ... nonne intentio ac visus oculorum *contuitionis* ipsius exspectatione deficiet?... *In Psalm.* 118, 11, 2.

Cooperatio ... sapientia sua... consummata *cooperatione* gaudente... *De Trinit.*, IV, 21.

Coopertio ... *coopertio* autem velamentum est corporis... *In Matth.*, 5, 11. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 80).

Corporatio ... ad cognitionem adventus Domini nostri Jesu Christi et *corporationis*... *In Psalm.*, Instr. 5. Tert.

Coruscatio ... dissipabuntur etiam coruscata *coruscatione*... *In Psalm.* 143, 12. Tert. Iren. Solin. Vospic. Arn. (Cf. *Rœnsch*, p. 71 et 311; — *Gœlzer*, p. 66).

Deceptio ... Quid inanium *deceptionum* doctrinis inhæres?... *De Trinit.*, VIII, 54 (Cf. *Rœnsch*, p. 71; — *Gœlzer*, p. 66).

Decimatio ... quia *decimatio* illa oleris... non debebat omitti... *In Matth.*, 24, 7. Capitol. (Cf. *Rœnsch*, p. 72).

Dehonestatio ... si mors ipsa aliud est quam potentum *dehonestatio*... *De Trinit.*, X, 48. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 72).

Desolatio ... hos carbones *desolationis* dari sibi fidelis quisque orat... *In Psalm.* 119, 12 (Cf. *Rœnsch*, p. 72; — *Gœlzer*, p. 67).

Devictio ... *devictio* autem mortis nihil aliud quam resurrectio... *De Trinit.*, XI, 35. Ps. Tert.

Dilectio ... iterata a se *dilectionis* in Deum postulatæ professione... *De Trinit.*, VI, 37. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 67).

Discretio ... jam personarum *discretione* præmissa... *De Trinit.*, IV, 24. Lact.

Dormitatio ... *dormitationem* superius ex nostra ab eo discessione significans... *In Psalm.* 120, 10. Arn. (Cf. *Rœnsch*, p. 73; — *Gœlzer*, p. 68).

Emanatio ... neque *emanatio* est... *De Synod.*, 22.

Emundatio ... sequitur *emundationem* leprosi... *In Matth.*, 7, 3. Tert. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 73; — *Gœlzer*, p. 69).

Esuritio ... per cibum *esuritione* depulsa... *In Psalm.* 145, 5. Cat. Mart.

Evacuatio ... cumque accipere formam servi, nisi per *evacuationem* suam non potuerit... *De Trinit.*, IX, 14. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 69).

Exauditio ... has optat inquirere... clamore cordis, *exauditionis* merito... *In Psalm.* 118, 19, 2. Cypr. (Cf. *Gœlzer*, p. 69).

Excitatio ... ut mors homini, Deo vero carnis *excitatio* deputetur... *De Trinit.*, IX, 11. Arn.

Exitio ... nec patitur *exitionem* adventum existimari... *De Trinit.*, VI, 31. Plaut.

Expetitio ... de *expetitione* diaboli nihil locuti sunt... *De Trinit.*, X, 40. Arn.

Fundatio ... ne creatio et *fundatio* fidem divinæ nativitatis offenderet... *De Trinit.*, XII, 37.

Glorificatio ... sanctorum *glorificatio*... *In Psalm.* 9, 4. Mar.-Vict. (Cf. *Gœlzer*, p. 70).

Humiliatio ... docet itaque propheta *humiliationem* suam... *In Psalm.* 118, 9, 4. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 71).

Illuminatio ... post *illuminationem* intellegentiam præstare... *In Psalm.* 118, 17, 2. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 71; — *Rœnsch*, p. 74).

Impertitio ... etiam cæcitas sæculi sapientiæ *impertitione* depellitur... *In Psalm.* 145, 5.

Imperturbatio ... alterum manendi *imperturbatio* est... *De Trinit.*, X, 54 (Cf. *Gœlzer*, p. 131).

Incarnatio ... quid irritum facis opus prophetarum, Verbi *incarnationem*... *De Trinit.*, III, 22 (Cf. *Gœlzer*, p. 71).

Incorruptio ... *incorruptionem* corporibus quibus fuerit aspersus impertit... *In Matth.*, 4, 10. Tert. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 217; — *Gœlzer*, p. 131).

Inebriatio ... terræ visitatio et ejus *inebriatio*... *In Psalm.* 64, 16.

Inhonoratio ... Patrem Filii *inhonoratione* contemnes... *De Trinit.*, IV, 41 (Cf. *Rœnsch*, p. 217; — *Gœlzer*, p. 72).

Inordinatio ... atque ita ex *inordinatione* in ordine constitisse... *In Psalm.* 148, 3. Apul. (Cf. *Rœnsch*, p. 218).

Inspiratio ... in animam viventem per *inspirationem* Dei fac-

tum... *In Psalm.* 129, 5. Solin. Tert. Cypr. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 72).

Inumbratio ... ut... substantiam corporalem divinæ virtutis *inumbratio* temperaret... *De Trinit.*, II, 26.

Jubilatio ... ne inanem *jubilationis* hujus doctrinam atque observantiam crederemus... *In Psalm.* 65, 4. Apul. (Cf. *Rœnsch*, p. 74).

Justificatio ... aliud præceptum... aliud *justificatio*... *In Psalm.* 118, 1, 4. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 74; — *Gœlzer*, p. 72).

Legislatio ... et in *legislatione* et in corporis assumptione mediator... *De Trinit.*, IV, 42 (Cf. *Gœlzer*, p. 134).

Locupletatio ... *locupletatio* enim ostensa est esse ea quæ superius nuncupabatur ebrietas... *In Psalm.* 64, 13 (Cf. *Rœnsch*, p. 75).

Magnificatio ... laudisque ipsius *magnificatio* super vitulum novellum placebit... *In Psalm.* 68, 26.

Manducatio ... non enim hic *manducatio* corporis est... *In Psalm.* 127, 6.

Obœditio ... cum præceptis ejus bonarum rerum *obœditione* famulamur... *In Psalm.* 118, 12, 4 (Cf. *Rœnsch*, p. 75).

Oblatio ... *oblatio* munerum, intellegentiam in eo totius qualitatis expressit... *In Matth.*, 1, 5. Apul. (Cf. *Gœlzer*, p. 73).

Obmurmuratio ... nulla quidem suspicio est... asperæ *obmurmurationis*... *Ad Constant.*, 1, 3.

Obseratio ... regni cælestis *obseratio*... *In Matth.*, 24, 4.

Participatio ... *participationem* sanctæ istius domus non habent... *In Psalm.* 121, 5. Apul. Cypr. (Cf. *Rœnsch*, p. 76; — *Gœlzer*, p. 73).

Perditio ... peccati sine lege *perditio* est... *In Psalm.* 129, 10. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 74).

Ploratio ... convallis *plorationis*... *In Psalm.*, 127, 11. Cypr. (Cf. *Rœnsch*, p. 76).

Præcerptio ... discipulorum esuritio et spicarum *præcerptio*... *In Matth.*, 12, 1.

Prædestinatio ... negaturi tamen secundum præscientiam et *prædestinationem*... *De Synod.*, 43 (Cf. *Gœlzer*, p. 74).

Præfiguratio ... in quibus Ecclesiæ *præfiguratio* est... *In Psalm.* 121, 9 (Cf. *Gœlzer*, p. 74).

Præfinitio ... per *præfinitionem* segregatus... *De Trinit.*, XII, 3. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 76).

Præformatio ... *præformationem* in se futuri temporis continere... *In Psalm.* 53, 2.

Propitiatio ... iniquitatum nostrarum quia ipse earum *propitiatio* sit, non recordans... *In Psalm.* 129, 9 (Cf. *Rœnsch*, p. 76; — *Gœlzer*, p. 75).

Protectio ... *protectionis* meritum ex fide orationis indultum est... *In Psalm.* 60, 4. Tert.

Protestatio ... nam post sitis *protestationem*... *In Psalm.* 62, 4 (Cf. *Rœnsch*, p. 77).

Provectio ... si Deus esse omnia in omnibus per *provectionem* temporum consequetur... *De Trinit.*, XI, 43. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 75).

Regeneratio ... hæc enim illa *regeneratio* est quam Apostoli sunt secuti... *In Matth.*, 20, 4. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 77; — *Gœlzer*, p. 75).

Rememoratio ... sed est in eo *rememoratio* in impios ultionis... *In Psalm.* 69, 1 (Cf. *Gœlzer*, p. 75).

Reptio ... cum... natatus magis sit ex natura quam *reptio*.., *In Psalm.* 68, 28.

Requietio ... proprietas *requietionis* et sabbati... requirenda est in psalmis... *In Psalm.* 91, 2. Iren. (Cf. *Rœnsch.* p. 77; — *Gœlzer*, p. 76).

Reseratio ... monumentorum *reseratione* confirmanda jam apostolorum fides... *De Trinit.*, X, 39 (Cf. *Gœlzer*, p. 76).

Restauratio ... cum... sine aliqua *restauratione* sit dissoluta... *In Psalm.*, 146, 1.

Resurrectio ... nihil aliud quam *resurrectio* ex mortuis est... *De Trinit.*, XI, 35. Tert. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 76).

Retributio ... et laqueus et captio et *retributio*... *In Psalm.* 68, 19. Tert. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 76).

Revelatio ... *revelationem* ejus creatura exspectat... *In Psalm.* 134, 14. Tert. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 76).

Sanctificatio ... sub *sanctificatione* hujus numeri continentur... *In Psalm.* 118, 21, 5. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 77; — *Gœlzer*, p. 76).

Speculatio ... Sion enim... *speculatio* dicitur... *In Psalm.* 68, 31 (Cf. *Gœlzer*, p. 77).

Substitutio ... creatio *substitutionis*... *De Trinit.*, I, 16. Arn.

Superscriptio ... psalmorum *superscriptionibus* nomina prænotare... *In Psalm.*, Instr. 2. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 132; — *Rœnsch*, p. 78).

Supplantatio ... cum superius de cogitata *supplantatione*... sermo omnis fuisset... *In Psalm.* 139, 8 (Cf. *Gœlzer*, p. 77; — *Rœnsch*, p. 78).

Surrectio ... matutinis eorum *surrectionibus* improbatis... *In Psalm.* 126, 12. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 77).

Transmigratio ... usque ad *transmigrationem* Babylonis... *In Matth.*, 1, 2 (Cf. *Gœlzer*, p. 77).

Tribulatio ... hæc ergo in *tribulatione* primum beatorum martyrum vota sunt... *In Psalm.* 65, 24. Tert. Cypr. (Cf. *Gœlzer*, p. 78).

j) Nomina cadentia in-*tudo*.

Inquietudo ... opulens *inquietudo* tanto plus calamitatis afferat... *De Trinit.* I, 1. Solin. (Cf. *Gœlzer*, p. 106).

Mæstitudo ... cognita adulescentis *mæstitudine*, respondit... *In Matth.*, 19, 8. Acc. ap. Non. Plaut. (Cf. *Rœnsch*, p. 68).

Partitudo ... Dei Filius non corporalis *partitudinis* est genitus exemplo... *De Synod.*, 17. Plaut. (Cf. *Rœnsch*, p. 68).

Vastitudo ... hanc enim infernæ *vastitudinis*... abyssus sustentat... *In Psalm.* 2, 32. Cat. Att. Gell.

k) Nomina cadentia in -*tus*.

Accinctus ... resque ea potentiæ non eguit *accinctu*... *In Psalm.* 64, 8 (Cf. *Gœlzer*, p. 85).

Circumseptus ... *circumseptu* etiam domorum firma præbere... *In Psalm.* 143, 23.

Incolatus ... ut tanquam peregrina *incolatu* ejus utatur... *In Psalm.* 118, 4, 1. Tert. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 90; — *Gœlzer*, p. 99).

Inintellectus ... iterum confirmantes christianismi *inintellectum*... *De Synod.*, 60.

Precatus ... meminit ergo propheta ab his se omnibus *precatu* liberari... *In Psalm.* 63, 6. Stat.

Reatus ... omnia in impietatem et *reatum* detrusisti... *Contra Constant.*, 25. Mart. Apul. Tert. Just.

Sputus ... cujus *sputus* et sermo natura corporis est... *De Trinit.*, X, 46. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 91).

l) Nomina cadentia in -*ulus*.

Claviculus ... de medio utrarumque virgularum *claviculo* proferentur... *In Matth.*, 21, 8.

Colliculus ... licet *colliculus* templo... junctus sit... *In Psalm.* 68, 31. Apul.

m) Nomina diversis modis cadentia.

Convallia ... hæc *convallia* quæ aspectui nostro subjacent... *In Psalm.* 64, 19.

Creatura ... in his cunctis originibus *creaturarum*... *De Trinit.*, I, 6. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 41 ; — *Gœlzer*, p. 88).

Cruciarius ... hunc ejus *cruciarium*, Deum suum tribus confitentur... *In Psalm.* 121, 8. Petr. Apul.

Desertum ... in *deserto* ob aquæ inopiam interitum pueri timente... *De Trinit.*, IV, 25 (Cf. *Gœlzer*, p. 251).

Incensum ... de *incensi* loco sacerdos mutus egreditur... *De Trinit.*, II, 26. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 108 ; — *Gœlzer*, p. 111).

Incentivum ... *incentivo* tamen consuetudinis... agitantur... *In Psalm.* 136, 8 (Cf. *Rœnsch*, p. 107 ; — *Gœlzer*, p. 110).

Infernus ... in cælis est, in *inferno* est... *De Trinit.*, I, 6 (Cf. *Rœnsch*, p. 100; — *Gœlzer*, p. 109).

Inferus ... ipse deinceps homo... portas *inferi* fregerit... *De Trinit.*, III, 7 (Cf. *Rœnsch*, p. 272).

Interscapilia ... posteriora itaque dorsi quæ *interscapilia* græcus sermo significat... *In Psalm.* 67, 13. Apul.

Jubilus ... exsultantis vocis nostræ... *jubilo*... *In Psalm.*, 65, 4. (Cf. *Gœlzer*, p. 92).

Lavacrum ... ipse quidem *lavacri* egens non erat... *In Matth.*, 2, 5. Gell. (Cf. *Gœlzer*, p. 91).

Lucta ... nunc de *luctæ* sacramento non est... *De Trinit.*, IV, 31 (Cf. *Rœnsch*, p. 86 ; — *Gœlzer*, p. 93).

Machinula ... ad generandum naturalis *machinula*... *Contra Constant.*, 13.

Medella ... quando animæ *medella* tribuenda sit... *In Psalm.* 134, 1. Apul.

Memoriale ... cogitat sollemnitatem cujus *memoriale* in tubis est... *In Psalm.* 118, 5, 6 (Cf. *Gœlzer*, p. 95 ; — *Rœnsch*, p. 103).

Mercatrix ... beatæ illæ virgines et utiles olei *mercatrices*... *In Psalm.* 118, 14, 4.

Morticina ... nunc enim admiscemur *morticinæ*... *In Psalm.* 118, 3, 3. Plaut.

Mundipotens ... adversus *mundipotentes* harum tenebrarum... *In Psalm.*, 134, 17. Tert.

Natatoria ... in *natatoria* porticus Salomonis... *In Psalm.* 91, 5 (Cf. *Rœnsch*, p. 101).

Novella ... tanquam *novella* olivarum in circuitu mensæ nostræ erunt... *In Psalm.* 127, 10.

Peccamen ... cujus cognitio et voluntas in recordationem *peccaminum*... evagetur... *In Psalm.* 133, 2 (Cf. *Rœnsch*, p. 28).

Præsegmen .., et digiti excidentium ex carne unguium *præsegmina* nesciunt... *De Trinit.*, X, 14. Plaut. Apul. Non.

Refuga ... clarificatur apud nos imperitos, *refugas*... *De Trinit.*, III, 13. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 83; — *Gœlzer*, p. 94).

Salutare ... quis... *salutare* ejus... afferret... *In Psalm.* 13, 3. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 104; — *Gœlzer*, p. 95).

Septuplum ... fidem apostolicam *septuplo* proferentes... *Ad Constant.*, 2, 6. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 156).

Simulamentum ... hypocritarum *simulamenta* condemnat... *In Matth.*, 6, 5. Gell.

2° Nomina e græcis vocibus deducta

Abyssus ... hanc enim... immensa *abyssus* sustentat... *In Psalm.* 2, 32.

Æon ... ignorat enim Valentini... ter denos *æonas*... *De Trinit.*, VI, 9. Tert.

Alalagmus ... et cum illis *alalagmos*, quem latine jubilum ponunt... *In Psalm.* 65, 3.

Allophylus ... arca... ab *allophylis* capta est... *In Psalm.*, 131, 16. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 205).

Alpha ... per *alpha* Abrahæ additus est... *In Matth.*, 18, 6. Juv. Tert.

Anathema ... et rursum *anathema* sit, Filium Dei negare... *De Synod.*, 41. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 205).

Anomœusion ... decem et novem *anomœusion*, id est dissimilis essentiæ profiterentur.., *Contra Constant.*, 12.

Antichristus ... ad effugiendum *antichristum* graves... *In Matth.*, 25, 6. Tert.

Apostata ... discedentes a se quos *apostatas* vocent... *In Psalm.* 118, 15, 10. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 206).

Apostolatus ... *apostolatus* est princeps... *In Matth.*, 7, 6. Tert. (C. *Gœlzer*, p. 98).

Apostolus ... segregavit... Paulum in *apostolum*... *In Psalm.* 67, 10. Tert.

Archangelus ... scit... diversas esse præceptorum observantias angelorum, *archangelorum*... *In Psalm.* 118, 3, 10.

Baptisma ... ut... unum esset et *baptisma*... *De Trinit.*, XI, 1. Tert.

Baptismus ... sacramentum omne et *baptismi* et fidei... *De Trinit.*, XI, 1. Tert.

Baptista ... baptizandi sub *baptistæ* professione virtus... *De Trinit.*, VI, 23.

Cathedra ... peccatori via, *cathedra* pestilenti... *In Psalm.* 1, 6. Hor. Prop. Juv. (Cf. *Gœlzer*, p. 207).

Charisma ... cum de *charismatum* et munerum Dei donis doceret... *In Psalm.* 118 Instr. 4.

Christianismus ... confirmantes *Christianismi* inintellectum... *De Synod.*, 60. Tert.

Clericus ... putent se causas cognoscere *clericorum*... *Ad Constant.*, 1, 1. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 208).

Clerus ... manere in mediis *cleris*... *In Psalm.* 67, 13. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 208).

Cœnomyia ... *cœnomyiam* quam immiserat abigit... *De Trinit.*, VII, 10 (Cf. *Rœnsch*, p. 251 ; — *Gœlzer*, p. 208).

Dæmon ... fugare *dæmonas*... *De Trinit.*, VII, 36. Apul. Tert.

Dæmonium ... cum *dæmonium* habens dicitur... *In Psalm.* 68, 11. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p, 208).

Decas ... ut simplicem ogdoadem et ogdoadis *decadem* sacramentum triadis... concluderet... *In Psalm.* Instr. 13 (Cf. *Gœlzer*, p. 208).

Diabolus ... quod sint vasa *diaboli*... *In Psalm.* 128, 4. Tert. Arn.

Diacon ... unus ex septem *diaconibus* fuit... *In Matth.*, 25, 2. Cypr. (Cf. *Rœnsch*, p. 262).

Diaconus ... ut a *diacono* ministerium... exigeret... *In Psalm.* 67, 33. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 208).

Diapsalma ... *diapsalma* vero, quod interjectum plurimis psalmis est... *In Psalm.*, Instr. 23.

Didrachma, æ ... hæc eadem *didrachma*... poscebatur... *In Matth.*, 17, 11.

Didrachma, tis ... Dominus *didrachma* solvere postulatur... *In Matth.*, 17, 10.

Eremus ... populum suum... in *eremo* manna aluerit... *In Psalm.* 134, 18. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 209).

Euangelista ... audi *euangelistam*... *De Trinit.*, IV, 16 (Cf. *Gœlzer*, p. 210).

Euangelium ... fiduciam orantis pharisæi Dominus in *euangeliis* damnat... *In Psalm.* 14, 11 (Cf. *Gœlzer*, p. 210).

Exodum ... et *exodum* proprie est, ubi ex multis angustis viis in unam patentem viam coitur... *In Psalm.* 118, 4, 12.

Genealogia ... vetat *genealogiæ* eloquia tractari... *De Trinit.*, X, 53 (Cf. *Gœlzer*, p. 210).

Holocaustoma ... *holocaustomatum* religiones... *In Psalm.* 91, 1 Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 243).

Holocaustum ... quos ad *holocaustorum* sollemnia erudierat... *In Psalm.* 65, 27 (Cf. *Rœnsch*, p. 243; — *Gœlzer*, p. 211).

Homœusios ... dum de homousio et de *homœusio* taceri decernitur... *De Synod.*, 10 Cf. *Gœlzer*, p. 219).

Homousios ... et hæc quidem de *homousio* eorum falsitas prima est... *De Trinit.*, IV, 4.

Dulcificare ... *Dulcificando* in populi cibum hordeo. *In Psalm.* 54, 13.

Glorificare ... ut pati timuerit quæ se essent *glorificatura* patientem... *De Trinit.*, X, 29. Tert. Iren. (Cf. *Rœnsch*, p. 175).

Honorificare ... aut *honorificatur* aut spernitur... *In Psalm.* 2, 10. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 176).

Justificare ... non idem est qui *justificat* Deus... *De Trinit.*, X, 65. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 176).

Levificare ... novacula ad nitorem vultus acuitur ut... faciem *levificet*... *In Psalm.* 51, 8.

Lucificare ... qui omnem hominem *lucificat*... *In Psalm.* 118, 14, 1. Laber. Ap. Gell. (Cf. *Rœnsch*, p. 177).

Mirificare ... *mirificari* mirabiliter promeruit... *In Psalm.* 138, 27 (Cf. *Rœnsch*, p. 177).

Mortificare ... quæ omnia... urunt et *mortificant*... *In Psalm.* 145, 5. Tert. Arn. (Cf. *Rœnsch*, p. 177; — *Gœlzer*, p. 190).

Salvificare ... *salvificari* se in Dei nomine rogat... *In Psalm.* 53, 4 (Cf. *Rœnsch*, p. 178).

Sanctificare ... hæc eadem *sanctificatur* in lege... *In Psalm.* 91, 2. Tert. Cypr. (Cf. *Rœnsch*, p. 178 ; — *Gœlzer*, p. 190).

Vivificare ... *vivificandus* tamen est in æquitate... *In Psalm.* 142, 13. Tert. Minuc.-Fel. (Cf. *Rœnsch*, p. 178 ; — *Gœlzer*, p. 190).

13° Verba variis modis composita.

Ablactare ..., *ablactato* Isaac, accepimus Abraham fecisse cenam... *In Psalm.* 130. 5. Arn. (Cf. *Rœnsch*, p. 180 ; — *Gœlzer*, p. 179).

Beneplacere ... orat ut voluntaria oris sui *beneplaceant*... *In Psalm.* 118, 14, 13.

Contraire ... uniuscujusque sensui non *contraimus*... *In Psalm.* 138, 39. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 181).

Disproficere ... non *disproficit* tamen in genere auctoris existere... *De Trinit.*, XI, 11.

Exalbare ... *exalbatos* nive disponet in reges... *In Psalm.* 67, 14. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 191).

Tripertire ... *tripertientes* Christum in Verbum et animam et corpus... *De Trinit.*, X, 61. Serg.

2° Verba e græcis vocibus deducta

Paucissima sunt hujusce generis verba :

Anathematizare ... *anathematizari* homœusion... constituisti... *Contra Constant.*, 25 (Cf. *Rœnsch*, p. 248 ; — *Gœlzer*, p. 220).

Baptizare ... a Joanne *baptizari* prohibetur... *In Matth.*, 2, 5. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 220).

Blasphemare ... Deus *blasphematur* in Christo... *In Matth.* 12, 15. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 220).

Colaphizare ... Angelum satanæ qui se *colaphizet* accepit... *In Psalm.* 118, 3, 16. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 220).

Prophetare ... in quo hæc *prophetata sunt* et expleta... *In Psalm.*, Instr. 6. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 221).

Scandalizare ... si quis *scandalizatur*, uratur... *In Psalm.* 118, 20, 8. Tert. (Cf. *Rœnsch*, p. 249 ; — *Gœlzer*, p. 221).

Thesaurizare ... num quid *thesaurizare* in cælis sola nuditas aut fames poterit ?... *In Matth.*, 5, 7 (Cf. *Rœnsch*, p. 249 ; — *Gœlzer*, p. 221).

CAPUT QUARTUM

DE ADVERBIO

Occurrunt aliquot adverbia, alia in *-e*, alia in *-ter* cadentia.

1° Adverbia in *-E* cadentia

Adæque ... ut cognoscamus qui sint judices terræ quos *adæque* reges oporteat erudiri... *In Psalm.* 2, 44. Plaut. Front. Apul. (Cf. *Krebs*, I, p. 77).

Comparative ... in quo *comparative* beatitudinis profectus ostenditur... *In Psalm.* 1, 3.

Consummate ... *consummate* sanctus et perfecte domino placens... *In Psalm.* 118, 11, 5 (Cf. *Gœlzer*, p. 194).

Domestice ... sensim et *domestice* incedentibus lucerna opus est... *In Psalm.* 118, 14, 5.

Hebreïce ... id *hebreïce* Hermon dicitur... *In Psalm.* 132, 6. Lact. (Cf. *Gœlzer*, p. 194).

Indefinite ... *indefinite* bona est lex oris Dei... *In Psalm.* 118, 9, 9. Gell.

Indubitate ... ea quæ *indubitate* essent gerenda... *In Psalm.* 125, 3. Tert. (Cf. *Krebs*, I, p. 665).

Multifarie ... fidei evangelicæ sacramentum *multifarie* Apostolus tractans... *De Trinit.*, XI, 1. Solin. (Cf. *Gœlzer*, p. 195).

Profane ... quia *profane* ea quæ ex portione unius substantiæ nativitas asserta est, prædicatur... *De Trinit.*, VI, 10. Minuc.-Fel. Lact.

Putative ... natum autem non *putative* sed vere... *De Trinit.*, IV, 12 (Cf. *Gœlzer*, p. 195).

2° Adverbia in -*TER* cadentia

Carnaliter ... per manentem in nobis *carnaliter* Filium... *De Trinit.*, VIII, 17. Tert. (Cf. *Gœlzer*, p. 197).

Competenter ... *competenter* hic psalmus... in ordine est hujus numeri collocatus... *In Psalm. Instr.* 10 (Cf. *Gœlzer*, p. 197).

Corporaliter ... et in eo nobis *corporaliter* et inseparabiliter unitis... *De Trinit.*, VIII, 17. Tert. Arn. (Cf. *Gœlzer*, p. 197).

Immedicabiliter ... his *immedicabiliter* imbutus sum... *De Trinit.*, VI, 21. Nov.

Impassibiliter ... sine tempore et *impassibiliter* ex se eum genitum demonstravit... *De Synod.*, 38. Mar.-Vict.

Incomprehensibiliter ... sed *incomprehensibiliter*... Unigenitus ex his quæ ingenita in se erant procreavit... *De Trinit.*, III, 3.

Incorporaliter ... *incorporaliter* unctum esse cognovimus... *In Psalm.* 132, 4.

Inculpabiliter ... legis optime et *inculpabiliter* custoditæ... *In Matth.*, 20, 7.

Indeficienter ... et quod facit *indeficienter* exercet... *In Psalm.* 118, 13, 2 (Cf. *Rœnsch*, p. 153).

Inenarrabiliter ... *inenarrabiliter*... Unigenitus ex his quæ ingenita in se erant procreavit... *De Trinit.*, III, 3.

Inseparabiliter ... et in eo nobis corporaliter et *inseparabiliter* unitis... *De Trinit.*, VIII, 17. Lact. Mar.-Vict.

Irrationabiliter ... nec *irrationabiliter* prædicanda (substantia)... *De Synod.*, 71. Lact. (Cf. *Rœnsch*, p. 152; — *Gœlzer*, p. 199).

Pastoraliter ... *pastoraliter* reges eos... *In Psalm.* 2, 35.

Proficienter ... etsi sensim, tamen jam *proficienter* incedit... *De Trinit.*, I, 22.

Sinceriter ... sanctificantur credentium in eum *sinceriter* animæ... *De Synod.*, 38. Gell. (Cf. *Rœnsch*, p. 151).

Spiritaliter ... sed istis *spiritaliter* respondit... *In Matth.* 9, 3 (Cf. *Gœlzer*, p. 200).

Terribiliter ... mirificari *terribiliter* promeruit... *In Psalm.* 138, 27. Arn.

His adde adverbium **omnifariam.**

... *omnifariam* prophetæ loquuntur ... *In Psalm.* 65, 15.

. . . .

Vocabula quæ modo enumeravi, in tria genera dividi

possunt; etenim alia apud scriptores profanos repe-riuntur, alia apud scriptores ecclesiasticos; cetera autem ab ipso S. Hilario repeti possunt.

Quæ e profanis scriptoribus excerpta sunt, occurrunt alia apud veteres nempe Ennium, Catonem, Lucilium, Plautum, Terentium, Lucretium; alia apud poetas qui a Cicerone ad Apuleium floruerunt, nempe Vergilium, Ovidium, Propertium, Martialem, Persium, Juvenalem, Senecam, Statium, Valerium Flaccum; alia apud recentiores, nempe Aulum Gellium, Ulpianum, Apuleium.

Quæ excerpta sunt ex scriptoribus ecclesiasticis repe-riuntur cum apud veteres sacrorum librorum translatores, tum apud scriptores qui S. Hilarium ætate præcurrerunt, scilicet S. Irenæi interpretem, Minucium Felicem, Tertullianum, S. Cyprianum, Commodianum, Firmicum Maternum, Lactantium, Arnobium.

Quod attinet ad ea quæ ab ipso S. Hilario repeti possunt, non pauca occurrunt quæ operæ pretium est diligenter considerare.

Dicam primo nonnulla ex iis nullam ei utilitatem attulisse, cum usitata jampridem vocabula eum in explicandis mentis suæ sensis, ab omni molestia plerumque expedivissent; sic, ut pauca tantum designem, *præitor*, *præteritor*, *dehonestas*, *dealitas*, *obmurmuratio*, *frequentabilis*, *pecudeus*, *indesecabilis*, *insalutaris*, *inexquisitus*, *inexcessus*, *paupertare*, *adblandiri*, *reprovehere*, *disproficere*, *inculpabiliter*, etc... submittebantur pro vocabulis jam tritis quæ idem omnino valent.

Verum alia procul dubio desiderabantur; meminerimus enim diu acriterque S. Hilarium adversus Arianos decertasse atque excepto *Tractatu super Psalmos* et *Commentario in Matthæum*, non modo librum *de*

Trinitate, sed etiam eos quos ad Constantium principem miserat ceterosque esse de Arianorum disciplina; atqui Ariani, inaudita immo etiam falsa vero miscebant; in hoc autem a vero desciscebant quod firmissime asseverabant Dei Filium non esse ejusdem naturæ qua Pater est, neque æternum sicuti Patrem esse novimus. Quos ut redargueret, novis rerum indiciis illi opus erat; quamobrem, ut affirmaret æternum esse Filium perinde ac Pater est, finxit vocabula *cointemporalis*, *coinnascibilis;* præterea ut affirmaret Filium ejusdem esse naturæ qua Pater est, finxit vocabulum *consubsistens;* atque ut enuntiaret ea esse adeo abstrusa ut in nostram intellegentiam minime cadere possint, finxit vocabula *imperscrutabilis*, *imperspicabilis*, *inconceptibilis*, *inconspicabilis*, *inintelligibilis*, *ininitiabilis*.

Superest vero nunc ut videamus quas leges secutus sit in fingendis vocabulis quæ necessaria aut saltem utilia sibi esse arbitrabatur.

Fatendum est autem eum diligenter optimum morem tenuisse egregiorumque scriptorum vestigiis inhæsisse; fingit enim nomina quæ cadunt :

1° in **-entia** : *nescientia*, *suaveolentia*, cf. scientia benevolentia, etc... ;

2° in **-or** : *emundator*, *præitor*, *præteritor*, *remissor*, cf. actor, arator, orator, messor, etc... ;

3° in **-sio** : *discissio*, *transcursio*, cf. fissio, offensio, incursio, etc... ;

4° in **-tas** : *deitas*, *generalitas*, cf. humilitas, sanctitas, etc. [1]... ;

1. Inter vocabula quæ cadunt in *-tas*, non repono *coheréditas* et *dehonestas*, quia S. Hilarius adjunxit tantum præpositionem *cum* vocabulis jampridem usitatis et in *-tas* cadentibus, scilicet *hereditas* et *honestas;* quod optimorum scriptorum ætate factum esse liquet, ut indicio sunt vocabula *cohortatio*, *dehonestamentum*, etc.

5° in **-tio**: *concrematio*, *contuitio*, *inebriatio*, *inumbratio*, *obseratio*, *præcerptio*, *præformatio*, *reptio*, *restauratio*, cf. actio, derivatio, intentio, etc... ;

6° in **-trix**: *mercatrix*, cf. imperatrix, victrix, etc... ;

7° in **-tus**: *inintellectus*, cf. intellectus ;

8° in **-ulus, ula**: *claviculus*, *machinula*, cf. homunculus, vernaculus, meretricula, etc...

Hæc ex latinis sunt vocibus deducta ; alia vero reperiuntur quæ omni ex parte græca sunt, nempe ea quæ trita erant dum disceptabat S. Hilarius cum Arianis, scilicet *homousios*, *homœusios*, *anomœusios*, *usia* et nomen *paraclesis*, quibus addendum est nomen *theoteta*, *æ*, quod a tertia declinatione (Θεότης, τος), ad primam inepte translatum esse fateor.

Nonnulla etiam adjectiva finxit S. Hilarius cadentia :

1° in **-bilis** quibus adjungitur vel non, aliqua præpositio : *coinnascibilis*, *frequentabilis*, *despicabilis*, *imperscrutabilis*, *imperspicabilis*, *inconceptibilis*, *inconspicabilis*, *indesecabilis*, *indissecabilis*, *inevolubilis*, *ininitiabilis*, *exæquabilis*, cf. amabilis, æquabilis, inæquabilis, inæstimabilis, exorabilis, etc... ;

2° in **-eus**: *pecudeus*, cf. ferreus, luteus, etc... ;

3° in **-icus**: *diabolicus*, *parabolicus*, *israeliticus*, cf. nauticus, hispanicus, thessalicus, etc... ;

4° in **-ivus**: *deputativus*, cf. captivus, nativus, votivus, etc... ;

5° in **-lis**: *cointemporalis* (*co*, *in*, *temporalis*) ;

6° in **-osus**: *incestuosus*, cf. herbosus, rugosus, etc...

Aliis autem jampridem usitatis præponuntur *in* et *cum* ; hæc sunt :

Insalutaris, *inexquisitus*, *inexcessus*, *inenarrandus*, *incunctans*, *innumerosus*, *irremissus*, *consubsistens* : cf. inconditus, inconsideratus, inerrans, irreligiosus, constans, etc.

Quadrimodus fingitur eodem fere modo quo *quadrijugus* (Verg.).

Amphibolus vero speciem reddit vocabuli *amphimacrus* (Quint.).

Quod ad verba spectat, unum tantum ex simplici vocabulo deducitur, nempe *paupertare ;* quod rite fictum est, utpote deductum ex adjectivo *pauper*, eodem modo quo *debilitare* (Cic.), ex adjectivo *debilis* deducitur.

Cetera autem duobus vocabulis constant ; quorum alia confecta sunt e vocabulis in quibus ne una quidem mutata littera est, nempe : *adblandiri*, *circumsævire*, *circumsplendere*, *indemutare*, *subsecundare ;* alia vero constant voce jam usitata et præpositione *cum* mutata in *co*, *con*, vel præverbiis *re* et *dis*, nempe : *coexsulare*, *coimaginare*, *commærere*, *concapere*, *condescendere*, *congignere*, *connuncupare*, *reprovehere*, *disproficere ;* quod optimis scriptoribus probatum sane foret. Cf. *coemere*, *coire*, *cohonestare*, *cohortari*, *conclamare*, *concoquere*, *disjungere*, *reprobare*, *etc...*

Occurrunt etiam duo verba cadentia in *-ficare*, *dulcificare* et *levificare*, quæ usitato more confecta sunt non secus ac *lætificare*, quod apud Tullium reperitur.

Denique aliquot adverbia finxit S. Hilarius subjungendo *ter* nonnullis adjectivis, unde : *immedicabiliter*, *impassibiliter*, *inculpabiliter*, *inenarrabiliter*, *pastoraliter ;* atque etiam uni participio, unde *proficienter;* id vero non mendose factum esse satis perspicuum est : cf. *suaviter*, *fortiter*, *amanter*, *etc.*

Summa autem hæc erit : S. Hilarius latinum sermonem ita auxit ut, mea quidem sententia, hujusce facti neminem pigere debeat ; etenim Hilariana vocabula non sunt, ut ita dicam, aspectu horrida, qualia sunt plurima a Tertulliano jam ante ficta, aut quæ posterius fingentur.

Addenda lexicis

Nonnullis S. Hilarius utitur vocabulis quæ in lexicis ad hoc tempus editis non reperiuntur ; hæc sunt :

Adblandiri (p. 42), *cohereditas* (p. 18), *cointemporalis* (p. 34), *concapere* (p. 43), *congignere* (p. 43), *consubsistens* (p. 35), *contuitio* (p. 20), *exæquabilis* (p. 38), *frequentabilis* (p. 33), *inconceptibilis* (p. 36), *inconspicabilis* (p. 36), *indemutare* (p. 44), *inevolubilis* (p. 36), *inexcessus* (p. 37), *ininitiabilis* (p. 36), *inintellectus* (p. 24), *parabolicus* (p. 40), *paraclesis* (p. 28), *paupertare* (p. 41), *pecudeus* (p. 33), *præcerptio* (p. 22), *præteritor* (p. 17), *reprovehere* (p. 45), *theoteta* (p. 29).

His addere juvat (quod nemo sane moleste feret) quædam alia quæ reperiuntur in libris qui a S. Hilario conscripti certo dici non possunt ; hæc sunt :

Fornicatoria, æ. *Ex opere histor.*, III, 9 ; — Migne, X, p. 665.
Insumptuosus. *Epist. ad Abram*, 5 ; — Migne, X, p. 551.
Pertemere. *Ex op. hist.*, III, 10 ; — Migne, X, p. 666.
Signantia (verbi). *In Psalm.* 41, 4 ; — Migne, IX, p. 902.
Subfecundare. *Epist. seu libellus*, 5 ; — Migne, X, p. 737.
Supervocare. *In Psalm.* 41, 11 ; — Migne, IX, p. 907.

LIBER SECUNDUS

DE VOCABULIS USITATIS QUIBUS VIS NOVA SUBJICITUR

Vocabula quibus optimi scriptores quondam usi sunt, sed quibus a S. Hilario vis nova subjecta est, tum ad christianam religionem pertinentibus tum profanis rebus imponuntur non secus atque ea quæ supra numeravi.

CAPUT PRIMUM

DE VOCABULIS QUÆ REBUS AD CHRISTIANAM RELIGIONEM PERTINENTIBUS IMPONUNTUR

Vocabula communi usu trita quibus christiani scriptores usi sunt ut inauditas ante sententias explicarent plurima sunt in scriptis S. Hilarii; quæ singula enumerare nihil attinet, cum non pauca in Scriptura Sacra atque apud scriptores ecclesiasticos sæpe reperiantur. Satis igitur erit in quibusdam consistere quæ nova sunt aut saltem rarius usurpata; haec autem facile est in ordinem redigere quippe cum quæ iis explicantur vel ad Deum vel ad Christum divinamque hominum redemptionem pertineant.

1° De Deo

Deus tribus *personis* constat; sed in eo una tantum est natura, quod explicatur vocabulis *solitudo*, *unio*.

... quidquid unum est, per nativitatem non habet *solitudinem;* quia et *solitudo* singularis est... *De Trinit.*, VII, 21.

... Pater et Filius Deus unum sunt non *unione* personæ... sed substantiæ unitate... *De Trinit.*, IV, 42.

Vocabulo *solitudo* apponendum est vocabulum *solitarius* quod idem sonat atque *unus.*

... nobis quoque nec *solitarius* tantum nec diversus est confitendus... *De Trinit.*, IV, 18.

Apud optimos scriptores, *solitudo* idem sonat ac *deserta loca*, vel *relictio*, *destitutio ; unio* autem designat genus quoddam margaritarum apud Plinium et Senecam.

Aequo prorsus jure sunt Pater et Filius quod explicatur verbo *considere :*

... Hominis Filius *consessurus* Patri... *In Psalm.* 2, 27.

Hic *considere* verbum est per similitudinem translatum, cum, qui ad latus alicujus assidet, dignitate cum eo exæquari soleat.

E verbo *considere* deducitur nomen *consessus* quod idem sonat ac *jus æquale.*

... Qui et Christus et Filius Dei est, *consessu* Dei dignus esset... *In Psalm.* 2, 27.

Apud Ciceronem et alios *consessus* = conventus.

Filius Dei gignitur non per *transfusionem* neque Filius Dei est *adoptio...*

Filius in Patre est et in Filio Pater, non per *transfusionem* refusionemque mutuam... *De Trinit.*, VII, 31.

... et Filius est, non *adoptio... De Trinit.*, VIII, 41.

Apud Ciceronem, *transfusio* idem sonat ac *colluvio* (gentium), et apud Plinium idem atque *effusio* (qua aliquid ex uno vase in alterum trajicitur).

Apud eximios scriptores *adoptio* = electio; apud S. Hilarium hoc prorsus inusitatum valet, nempe *Filius adoptivus.*

Ceterum reperitur etiam vocabulum *adoptivus* quo negat S. Hilarius Verbum designari posse cum sit ejusdem naturæ qua Pater ;

... Filium confiteri non *adoptivum* sed natum. *De Trinit.*, XII, 2.

eum enim *adoptivum* appellat quem *gratia* Deus filium sibi adoptavit.

Ante S. Hilarii tempora, *adoptivus* dicebatur is quem aliquis filium sibi asciverat. Cf. P. Scip. apud Gell., 5, 9 ; Suet., *Tib.*, 52.

Spiritus a Patre et Filio originem trahit miro prorsus modo nempe *processione*.

... Superest ut confirmemus... utrum in hoc consistentes egressionem an geniti *processionem* existimemus... *De Trinit.*, VIII, 19.

Apud Ciceronem *processio* = *ingressus*, *incessus*.

Ut significet eamdem tribus personis inesse naturam, utitur S. Hilarius vocabulo *indifferens*.

... Unius atque *indifferentis* naturæ unum Deus nomen est... *De Trinit.*, VII, 13.

Apud Ciceronem hæc vox idem sonat ac *medius inter bonum et malum*; apud Quintilianum idem atque *anceps* (*indifferens syllaba*); apud Suetonium *parum difficilis* (circa victum *indifferens*).

Ad designandam Dei æternitatem utitur S. Hilarius vocabulo *innatus ;*

... quod æternum est, etiam *innatum* est... *De Trinit.*, XII, 21.

et ad designandam ejus immensitatem, vocabulo *immoderatus...*

... ut ... omnem persequentis se naturæ infirmitatem infinitas *immoderatæ* æternitatis excederet... *De Trinit.*, I, 6.

Apud Ciceronem *immoderatus* idem sonat plerumque atque *effrenatus*, *ferox*, *intemperans*. Cf Attic., 13, 28, 3. Occurrit tamen idem valens atque *infinitus*, *immensus*, sed poetico stilo. Cic., *Poet.*, N. D., 2, 25, 65. — Cf. Lucr., I, 1012.

Innatus idem valet atque *insitus* apud eumdem Ciceronem.

Deus nominatur *conditor*, *creator*, nempe *qui ex nihilo omnia duxit*... Cf. *Gœlzer*, p .228.

> ... in quo majus officium præstare *conditori* suo minusve posset... *De Trinit.*, I, 8.
>
> ... ipso *creatore* Deo testante de se... *De Trinit.*, I, 5.

Apud eximios scriptores *conditor*, *creator* = qui constituit (*urbem*).

Pro verbo *creare* id est *res ex nihilo ducere* quod reperitur sæpe in Sacra Scriptura, S. Hilarius utitur verbo *fundare*...

> ... aliud est ante sæcula *fundari*... *De Trinit.*, XII, 36.

Apud eximios scriptores *fundare* idem valet atque *optime constituere* (imperium, opes).

Res ex nihilo ducere vocatur *creatio*, *vel constitutio*. Cf. *Gœlzer*, p. 229.

> ... alii vero... nativitatem negantes, *creationem* solam professi sunt... *De Trinit.*, I, 16.
>
> ... gloriam... quam ante *constitutionem* mundi apud Deum habuit... *De Trinit.*, X, 7.

Apud Ciceronem *creatio* idem valet ac *lectio*, *cooptatio* (magistratuum); *constitutio* idem ac *corporis habitus*, vel *dispositio*, *præscriptum*.

Edita a Deo prodigia vocantur *signa*, *virtutes*. Cf. *Gœlzer*, p. 229-230.

> ... cum postulatum ab eo esset ut *signum* ad fidem de se ostenderet... *De Trinit.*, IX, 12.
>
> ... per *virtutum* operationes loquuntur sepulcra... *De Trinit.*, XI, 3.

Apud optimos scriptores, *signum* idem sonat ac : 1° *nota rei impressæ ;* 2° *vexillum ;* 3° *significatio*, *mandatum ;* 4° *auspicium ;* 5° *statua ;* 6° *sigilla*... *virtus* autem idem ac *vis corporis* vel *animi*.

2° De Christo

Filius Dei seu *Verbum*, humanam naturam sumpsit, quod significatur vocabulis *assumptio* (corporis), *descensio* (in homines).

> ... et in corporis *assumptione* mediator Christus... *De Trinit.*, IV, 42.
>
> ... ut protensio sit potius in hominem quam *descensio*... *De Trinit.*, I, 16.

Apud Ciceronem *assumptio* idem sonat atque *electio*, *optio;* apud eumdem Ciceronem vox *assumptio* designat etiam *secundam syllogismi enuntiationem.*

Apud Plinium *descensio* = descensus (*descensio balnearum*).

Ex eo qnod humanam sumpsit naturam, Verbum ut Deus, ex æternitate est; verum in lucem *ut homo* susceptus est atque ita fuit ei ortus *temporarius.*

> ... tenuit autem beatus apostolus novam hanc in eo *temporariæ* hujus *nativitatis* discretam... significationem... *In Psalm.* 2, 28.

Filius Dei qui homines e servitute diabolica liberavit, vocatur *redemptor*. Cf. *Gœlzer*, p. 228.

> ... se *redemptorem* animæ corporisque nostri esse... *In Matth.* 17, 11.

Apud eximios scriptores *redemptor* = conductor, manceps...

Quæ hominum liberatio vocatur *redemptio* [1]. Cf. *Gœlzer*, p. 229.

> ... propheta tempus *redemptionis* exspectans... *In Psalm.* 118, 20, 4.

Redemptio apud Livium idem valet ac *pactum quo aliquid reddito pretio recuperatur;* apud Ciceronem idem *ac turpis mercatus.*

Christus morti se devovens ut homines redimeret, suam

1. Ex quo sequitur errare Goelzer qui putet vocabulum *redemptio* hoc non sonare ante S. Hieronymum. Cf. *Goelzer*, p. 229.

dignitatem fregit; quod S. Hilarius explicat vocabulo *exinanitio*.

... per ejus *exinanitionem* servi erat forma suscepta... *De Trinit.*, IX, 51.

Apud Plinium *exinanitio* idem est atque *effusio* (qua vos aliquod plenum exhauritur).

Per « *Incarnationem* » Christus novum rerum ordinem instituit qui vocatur vulgo « *supernaturalis* » et a *gratia* initium ducit; gratia autem vocatur interdum *viaticum æternitatis*.

... acquisita hac in *viaticum æternitatis* opulentia... *In Psalm.* 50, 17.

Vocabulum *viaticum* quod apud Ciceronem et alios idem valet ac *commeatus parati od iter conficiendum* transtulit S. Hilarius, putans gratiam pro commeatu quo sancti in cælo in sempiternum tempus sustentabuntur.

Cum animus *gratia* ornatur, fruitur *habitatione Spiritus sancti*.

... indigni *habitatione Spiritus sancti* erunt... *In Matth.* 24, 11.

Apud Ciceronem *habitatio* idem valet ac *domicilium hospitium;* apud S. Hilarium idem atque ipsa *habitantis præsentia;* ad memoriam autem revocat hunc Sacræ Scripturæ locum : « a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter *inhabitantem* Spiritum ejus in vobis. » *Rom.*, VIII, 11.

E gratia efflorescit primo *fides;* qua qui virtute ornatur, vocatur *fidelis*. Cf. *Gœlzer*, p. 233.

... novit et Apostolus hunc in viris *fidelibus* Spiritus esse clamorem... *In Psalm.* 118, 19, 2.

Apud optimos scriptores *fidelis* dicitur *qui non fallit promissa*, *non violat amicitiam*.

Fidei autem repugnat *hæresis*, *infidelitas perfidia*. Cf. *Gœlzer*, p. 234.

... alius ad *hæresim* sollicitat... *In Psalm.* 119, 9.
... quidquid apud te præter fidem unam est, *perfidia* non fides est... *Contra Constant.*, 24.

Apud Ciceronem *hæresis*, idem valet ac *secta*, *ratio; infidelitas* idem ac *fraus*, *animi mobilitas; perfidia* idem ac *fraus*, *dolus malus*.

Qui non solum a fide descivit sed eam etiam ignorat dicitur *infidelis*. Cf. *Gœlzer*, p. 234.

... plures sunt timentes Deum et tamen *infideles*... *In Psalm*. 118, 8, 17.

Apud optimos scriptores *infidelis* idem est qui *perfidus*, *perjurus*.

Populi qui veram fidem ignorant et *idolis* serviunt, vocantur *gentes*. Cf. *Gœlzer*, p. 233.

... Cornelius Christo tanquam primitiæ *gentium*... adductus est... *In Matth*. 21, 1.

Apud optimos scriptores, *gens* idem sonat ac *genus*, *familia*, *populus*.

E vocabulo *gentes* deducitur vocabulum *gentilis*. Cf. *Gœlzer*, p. 233.

... ex *gentili* impietate ad cognitionem Dei demutati... *In Psalm*. 68, 1.

Apud Ciceronem et alios, ii dicuntur *gentiles*, qui sunt *cognati*, *propinqui*, *populares*.

Reditus ad fidem vocatur *conversio*. Cf. *Goelzer*, p. 238.

... ipsa *conversio* deprecandi maxima pars ac spes est salutis... *In Psalm*. 119, 9.

Apud Ciceronem *conversio* idem valet ac *circumvectio* (siderum), *reditus* (mensium), *perturbatio* (rerum).

Conversio revocat in mentem vocabulum *vocatio*, quod designat *divinum instinctum* quo homines ad fidem vel ad cælestem gloriam vocantur...

... confitenti magnæ in cælo *vocationis* gloriam pollicetur... *In Matth*. 4, 15. Cf. *Gœlzer*, p. 238.

Profiteri fidem vocatur *confessio*, *professio*. Cf. *Gœlzer*, p. 234.

... et *professio* nostra nobis præstat adoptionem. *De Trinit.*, VI, 44.

confessio non semper ad peccata referenda est... *In Psalm.* 118, 8, 15.

Apud eximios scriptores *confessio* idem valet ac *declaratio qua aliquis culpam aut errorem agnoscit;* et *professio* idem ac *quælibet declaratio aut significatio.*

Inter Christianos eodem studio sectari res ad *fidem* pertinentes, vocatur *communio*. Cf. *Gœlzer*, p. 239.

... firmissima fidei constantia intra *communionem* se meam continentes... *De Synod.*, 8.

Apud Ciceronem *communio* = *societas*, *communicatio*...

Qui Christianam *fidem* seu disciplinam aliis tradit, vocatur *prædicator*, ejusque contiones ad populum *prædicatio*. Cf. *Gœlzer*, p. 241.

Christi *prædicator*... *In Matth.* 2, 2...

... secundum evangelicam *prædicationem*... *In Psalm.* 118, 17, 5.

Prædicator apud optimos scriptores idem valet ac *laudator;* et *prædicatio* idem ac *denuntiatio*, *præconium*, *laus*.

Divina disciplina vocatur *Scriptura* vel *Testamentum*. Cf. *Gœlzer*, p. 232.

... Apostolus enim totum *Scripturæ* mysterium exsequens... *De Trinit.*, X, 70.

... libros veteris *Testamenti* ex hebraïcis litteris in græcas transtulerunt... *In Psalm.* 2, 2.

Apud Ciceronem *scriptura* idem valet ac *scriptio*, *scribendi genus*.

Creare sacerdotes qui Christi disciplinam aliis tradant, vocatur *ordinare*... Cf. *Gœlzer*, p. 240.

... *ordinati* enim ab his *sumus*, et eorum sumus successores... *De Synod.*, 91.

Apud Ciceronem *ordinare* idem est ac *disponere*, *in ordinem adducere;* apud Suetonium idem ac *creare* (magistratus).

Conventus sacerdotum qui de fide et de rebus Ecclesiæ consultant, vocatur *concilium*.

... congregato rursum Antiochæ *concilio*... *Contra Constant.*, 23.

Apud eximios scriptores *concilium* idem est ac *cœtus*, *conventus* (virorum de rebus profanis consultantium).

Principibus fidem christianam sequentibus imponitur nomen *sanctitas*, tanquam reverentiæ signum.

... æquumque debet videri *Sanctitati* tuæ, gloriosissime Auguste... *Ad Constant.*, 1, 2.

Sanctitas apud Ciceronem idem sonat ac *colenda dignitas*, *innocentia*, *castitas*.

Non secus ac *fides*, e gratia efflorescit etiam *caritas* (Dei amor) cui repugnat *prævaricatio* vel *transgressio* id est *peccatum*. Cf. *Gœlzer*, p. 236.

... neque in *prævaricatione* sunt, sed in caritate... *Ad Constant.*, 2, 9.

... scit per *transgressionem* legis, mortem introisse peccati... *In Psalm.* 142, 6.

Apud optimos scriptores, *prævaricatio* idem valet ac *contemptus officii* præsertim in patronis qui non dubitant causam prodere quam defendendam susceperunt; *transgressio* autem idem ac *transmissio*, *trajectio*.

Cum Deus pœnam æternam prætermittit, fit *remissio* (peccatorum). Cf. *Gœlzer*, p. 238.

... non est autem dubium *peccatorum* eum ablutionem et *remissionem* attulisse... *In Psalm.* 119, 14.

Apud Plinium fit *remissio*, quando *creditæ pecuniæ debitoribus condonantur*; apud Suetonium quando *pœna alicui condonatur* (remissio pænæ).

Diabolus qui homines ad *prævaricationem* impellit, eos *tentare* dicitur, vocaturque *tentator;* ejus autem conatus vocantur *tentatio*. Cf. *Gœlzer*, p. 231.

... scit apostolatus nos derelinqui ad *tentandum* (ut tentemur)... *In Psalm.* 118, 1, 15.

... quam nonnisi datam occasionem *tentator* habuisset... *In Matth.* 3, 1.

... qui Dei beneficia homini invidisset, ante *tentationem* Deum in homine intellegere non posset... *In Matth.*, 3, 1.

Tentare apud optimos scriptores, idem sonat atque *attingere*, *oppugnare* (urbem); *experiri; vexare; excitare.*

Tentator apud Horatium tantum reperitur idem valens ac *pudicitiæ expugnator*. Cf. *Od.*, III, 4, 71.

Tentatio apud Ciceronem idem est atque *impetus* (mortis); apud Livium *periculum*, *experimentum.*

CAPUT SECUNDUM

DE VOCABULIS QUÆ REBUS PROFANIS IMPONUNTUR

I. — De Nomine

1° Nomina cadentia in *-entia*.

Continentia. — Apud eximios scriptores, *moderatio*, *temperantia;* apud S. Hilarium, *ordo*, *perpetuitas sermonis.*

... per *continentiam* dictorum ad id veniens ait... *De Trinit.*, IX, 55.

Efficientia. — Apud Ciceronem, *vis*, *rerum causa;* apud S. Hilarium, *res effecta...*

per has igitur virtutis... suæ *efficientias*, ad filios hominum convertit... *In Psalm.* 52, 5.

Eminentia. — Apud Ciceronem, *natura rei in altum procurrentis ;* apud S. Hilarium, *summum imperium.*

... ita ut hæc *eminentia* Dei, eorum ipsorum qui hæc audiant confessione laudetur... *In Psalm.* 63, 11.

Indulgentia. — Apud Ciceronem aliosque eximios scriptores, *humanitas*, *facilitas;* apud S. Hilarium, *donum*, *munus.*

... unde tibi... nomen creaturæ et *indulgentia* adoptionis... *De Trinit.*, VI, 49.

Intellegentia. — Apud Ciceronem : 1° *mens* ; 2° *mentis cognitio;* 3° *sensuum perceptio;* apud S. Hilarium, *quod intellegitur; significatio.*

... quod si forte aliquis... *intellegentiæ* huic fidem detrahet... *In Psalm.* Instr. 4. Cf. *Gœlzer*, p. 101.

2° Nomina cadentia in *-or.*

Cognitor.— Apud Ciceronem, *defensor*, *actor;* apud Livium, *minister;* apud S. Hilarium, *qui alicujus rei notionem habet.*

... cum omnium *cognitor* est... *De Trinit.*, VI, 33.

Conquisitor. — Apud Ciceronem et Livium, *qui milites conscribit;* apud S. Hilarium, *qui res occultas perspicere conatur.*

... *Conquisitores* invisibilium mysteriorum... *Ad Constant.*, 2, 5.

Interpellator. — Apud Ciceronem, *qui orationi alicujus importune intervenit;* apud S. Hilarium, *intercessor.*

... *interpellator* pro me tuus, inenarrabilia tibi loquitur... *De Trinit.*, XII, 55.

3° Nomina cadentia in *-sio.*

Impressio. — Apud eximios scriptores : 1° *sensus doloris* aut *voluptatis;* 2° *concursus*, *conflictus ;* 3° *vocis intentio ;* apud S. Hilarium, *signum alicui rei impressum.*

... quia in signaculis et materies sit et diversitas et *impressio... De Trinit.*, VIII, 44. Cf. *Gœlzer*, p. 245.

Successio. — Apud Ciceronem, *rei exitus ;* apud S. Hilarium, *soboles*, *progenies.*

... non es Israel Dei, non es Abrahæ *successio... De Trinit.*, V, 15.

4° Nomina cadentia in *-tas.*

Festivitas. — Apud Terentium, *morum suavitas ;* apud Ciceronem, *verborum jucunditas ;* apud S. Hilarium, *festi diei celebritas.*

... cum *festivitas* scenopegiorum Judæis... traderetur... *In Psalm.* 136, 7 (Cf. *Gœlzer*, p. 260; — *Rœnsch*, p. 313).

Immaturitas. — Apud Ciceronem, *præpropera festinatio ;* apud S. Hilarium, *adulescentia.*

... *immaturitate* clamorem prævenerat... *In Psalm.* 118, 19, 5.

Latinitas. — Apud Ciceronem : 1° *incorrupta sermonis latini integritas ;* 2° *jus latii ;* apud S. Hilarium, *lingua latina.*

... proprietatem verbi sive hebraïci sive græci *latinitas*... non elocuta est... *In Psalm.* 54, 11.

Soliditas. — Apud Ciceronem, *firmitas* (atomorum) ; apud S. Hilarium, *firmitas* (naturæ divinæ quæ corporis exspers est).

... nulla ad *soliditatem* sui corporalium partium membra conveniunt... *De Trinit.*, X, 58.

Vacuitas. — Apud eximios scriptores : 1° *vacuum, inane ;* 2° *amotio* (doloris) ; 3° *muniorum intermissio ;* apud S. Hilarium, *stultitia.*

... raca *vacuitatis* opprobrium est... *In Matth.* 4, 17.

Velocitas. — Apud eximios scriptores, *motus corporis acerrimus ;* apud S. Hilarium, dicitur de *auxilio allato cum maxima celeritate* (velocitas auxilii).

... *velocitatem* auxilii... optat expleri... *In Psalm.* 142, 8.

Voluntas. — Apud optimos scriptores, *consilium ;* apud S. Hilarium, *magna cupiditas.*

... post crucis *voluntatem*... *In Matth.* 17, 3.

5° Nomina cadentia in *-tio :*

Assumptio. — Apud Ciceronem, *delectus*, *optio*, aut etiam *enuntiatio quæ propositionem sequitur in syllogismo ;* apud S. Hilarium, *susceptio* (dolorum).

... *assumptio* autem infirmitatis, non fecit infirmum... *In Psalm.* 138, 3.

Commotio. — Apud Ciceronem, *animi motus ;* apud S. Hilarium, *corporis motus*, *jactatio.*

... in æternum enim manendum est, si sine *commotione* steterimus... *In Psalm.* 124, 4. Cf. *Gœlzer*, p. 244.

Conceptio. — Apud Ciceronem, *graviditas incipiens;* apud S. Hilarium *intellegentia* (rei).

... extra intellegentiæ *conceptionem... De Trinit.*, II, 5.

Consummatio. — Apud Plinium et Senecam, *confectio*, *peractio;* apud S. Hilarium *pars extrema*, *exitus*.

... ob quod hi omnes Psalmi in *consummatione* sua habeant, fiat, fiat... *In Psalm.* Instr. 1. Cf. *Gœlzer*, p. 274.

Contestatio. — Apud Ciceronem, *obsecratio;* apud S. Hilarium, *argumentum*.

... subjectio illa, infirmis naturæ *contestatio* esse existimabitur... *De Trinit.*, XI, 8.

Correptio. — Apud Vitruvium *imminutio* (correptio dierum); apud Quintilianum, *contractio* (correptio syllabæ); apud S. Hilarium, *reprehensio culpæ.*

... per justorum *correptionem* ad pœnitentiam retorqueri... *In Psalm.* 140, 8. Tert. Cf. *Gœlzer*, p. 251; — *Rœnsch*, p. 310.

Destinatio. — Apud Livium, *definitio;* apud S. Hilarium, *missus*, *missio*.

... ad collectionem sanctorum *destinatione* Angelorum... *In Matth.* 26, 1.

Elocutio. — Apud Ciceronem, *electio verborum*, *dicendi genus;* apud S. Hilarium, *verba*, *locutio*.

... neque Scriptura res easdem iterare geminis *elocutionibus* solita est... *In Psalm.* 128, 11.

Exhalatio. — Apud Ciceronem, *expiratio*, *vapor;* apud S. Hilarium, *flatus* (ventorum).

... ventorumque *exhalationes* nubes in summo... continerent... *De Trinit.*, XII, 40.

Frequentatio. — Apud Ciceronem, *enumeratio*, *coacervatio;* apud S. Hilarium, *commercium*, *consuetudo*.

... ad desertam Judæam venit, desertam Dei *frequentatione*, non populi... *In Matth.* 2, 2.

Instructio. — Apud Ciceronem, *ordo*, *rerum dispositio;* apud S. Hilarium, *institutio*, *disciplina*.

... demonstratio operum, non ignorationis *instructio* est... *De Trinit.*, VII, 19. Arn. Cf. *Gœl er*, p. 256.

Intentio. — Apud Ciceronem et Livium, *animi contentio*, *studium;* apud S. Hilarium, *consilium*, *propositum*.

... multa alia quibus hæreticæ impietatis obumbraretur *intentio... De Trinit.*, VI, 4. Cf. *Gœlzer*, p. 252.

Libatio. — Apud Ciceronem, *effusio vini deos colendi causa;* apud S. Hilarium, *vitæ castissimæ oblatum Deo munus*.

... Paulo *libatio* sua, corona justitiæ est... *De Trinit.*, X, 46.

Molitio. — Apud Ciceronem, *magni apparatus*, *instrumenta;* apud Livium *eversio*, *demolitio;* apud S. Hilarium, *labor*, *opera*.

... quod in ipsa artificis *molitione* vas fieret... *In Psalm.* 2, 39.

Nuncupatio. — Apud Livium, *sollemnis votorum recitatio;* apud Plinium, *quod scribitur ad mittendum alicui librum;* apud S. Hilarium, *designatio*.

... et quæ officii sanctitas est nominis *nuncupatio... In Matth.* 6, 4. Apul.

Præstatio. — Apud Senecam, *cautio;* apud S. Hilarium, *donum*, *munus*.

... docens... neque irrationabilem *præstationem* misericordiæ suæ existimandam... *In Psalm.* 53, 9. Cf. *Rœnsch*, p. 76.

Præsumptio. — Apud Plinium, *anticipata possessio;* apud Senecam, *conjectura;* apud Quintilianum, *anteoccupatio* (rhet.); apud S. Hilarium, *temeritas*, *audacia*.

... ne quis temerariæ huic et impiæ *præsumptioni* locus pateat... *In Psalm.* 2. 35. Tert. Cf. *Gœlzer*, p. 277.

Procreatio. — Apud Ciceronem, *generatio* aut etiam *soboles;* apud S. Hilarium, *quodlibet fabricandi genus*.

... subrepunt præfringentium manibus quædam fragmentorum (panis) *procreationes... De Trinit.*, III, 6.

Prolatio. — Apud Ciceronem, (antiquitatis exemplorumque)

porrectio; apud S. Hilarium, *porrectio* (substantiæ divinæ).

... partem ejus unius substantiæ et quasi *prolationem* extendens intellegitur... *De Trinit.*, VI, 4. Cf. *Gœlzer*, p. 245.

Satisfactio. — Apud Ciceronem et Cæsarem, *id quo rescinditur injuria*, aut *damnum resarcitur;* apud S. Hilarium, *id quo expletur cognoscendi studium.*

... admonuimus non posse *satisfactionem* intellegentiæ ex latinitatis translatione præstari... *In Psalm*, 118, 12, 14.

Subjectio. — Apud Ciceronem, *id quod fit quando aliquid oculis proponitur*; apud Livium, *falsi testimenti suppositio ;* apud S. Hilarium, *humilitas.*

... *subjectio illa*, infirmis naturæ contestatio esse existimabitur... *De Trinit.*, XI, 8.

Sublatio. — Apud Ciceronem, *animi exsultantis impetus;* apud sanctum Hilarium, *asportatio.*

Susceptio. — Apud Ciceronem, *tolerantia* (laborum) aut etiam *inceptum;* apud S. Hilarium, *patrocinium.*

... precandus est ut nos in *susceptionem* suam recipiat... *In Psalm.* 118, 15, 5.

Sustentatio. — Apud Ciceronem, *mora;* apud S. Hilarium, *fultura* (prop.).

... (firmamentum) ad *sustentationem* aquarum superiorum... solidavit... *In Psalm.* 135, 9. Cf. *Gœlzer*, p. 272.

Traditio. — Apud Ciceronem et Livium, *donatio;* apud S. Hilarium, *patrum memoria.*

... mulier igitur *traditionum* memor paternarum... *De Trinit.*, III, 31. Cf. *Gœlzer*, p. 265.

Visitatio. — Apud Vitruvium, *visio*, *aspectus;* apud S. Hilarium, *officium*, *salus.*

... Dominus in *visitatione* significatus... *De Trinit.*, IV, 27. Cf. *Gœlzer*, p. 258.

6° Nomina cadentia in *-tudo:*

Longitudo. — Apud Ciceronem, *longum itineris spatium*

aut etiam *longum temporis intervallum;* apud S. Hilarium, *loci longinquitas.*

... litteris sumptis quarum lentitudinem ac raritatem de exsilii mei et *longitudine* et secreto intellego constitisse... *De Synod.*, 2.

Lentitudo. — Apud Ciceronem, *inertia*, *socordia;* apud S. Hilarium, *tarditas in incedendo.*

... litteris sumptis quarum *lentitudinem* ac raritatem de exsilii mei et longitudine et secreto intellego constitisse... *De Synod.*, 2.

7° Nomina variis modis cadentia.

Ænigma. — Apud Ciceronem, *ambiguitas;* apud S. Hilarium *figura*, *signum.*

... in *ænigmate* felicium rerum imaginem contuemur... *In. Psalm.* 127, 11.

Communio. — Apud Ciceronem, *commercium*, *familiaritas;* apud S. Hilarium, *res communis.*

... assignetur sane hoc *communionis* in Christo nomen... *De Trinit.*, VI, 23.

Fastigium. — Apud optimos scriptores, *adminiculum;* apud S. Hilarium, *fastus*, *arrogantia.*

... non erexerunt tamen in superbiam, neque in aliquem *fastigii* tumorem extulerunt... *In Psalm.* 118, 14, 12.

Homo. — Apud S. Hilarium idem valet atque *humana natura.*

... (Si) neque post *hominem* in Deo (post *humanam* assumptam *naturam*) non totus homo totus Deus (sit). *De Trinit.*, IX, 6.

Hypocrita. — Apud Quintilianum et Suetonium, *actor*, *mimus;* apud S. Hilarium, *veterator.*

... *hypocritarum* simulamenta condemnat... *In Matth.* 6, 5. Cf. *Gœlzer*, p. 211.

Ingenium. — Apud optimos scriptores, hæc vox in multas accipitur sententias, quarum una hæc est : *natura alicu-*

jus rei; apud S. Hilarium idem sonat ac *natura alicujus rei intoleranda.*

... desævientibus pœnarum *ingeniis... In Psalm.* 65, 21.

Lacus. — Apud optimos scriptores, *stagnum;* apud S. Hilarium, *lacuna* (leonibus parata).

... leonum *lacum* non timet... *De Trinit.*, X, 46.

Momentum. — Apud optimos scriptores, *exiguum temporis intervallum;* apud S. Hilarium, *tempus quo aliquid fit.*

... non potest videri diem et *momentum* restituendi ignorare... *De Trinit.*, IX, 75.

Observantia. — Apud Ciceronem, *reverentia*, *obsequium;* apud S. Hilarium, *pietas in Deum*, *cultus.*

... Samaritæ... sub quadam *observantiæ* suæ consuetudine servientes... *In Matth.* 21, 1.

Oculus. — Apud optimos scriptores, *sensus videndi*, *acies mentis;* apud S. Hilarium ea vox nomini *fides* adjungitur.

... ille Dominum suum *fidei oculis*... agnovit... *De Trinit.*, IV, 25.

Origines. — Apud optimos scriptores, hæc vox in multas accepta sententias, nunquam idem sonat ac *semen humanum*, ut apud S. Hilarium.

... quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis *originibus* impenderent... *De Trinit.*, X, 15.

Prærogativa. — Apud optimos scriptores, hæc vox nunquam idem sonat ac *privilegium*, *laus præcipua*, ut apud S. Hilarium.

... de *prærogativa* israelitici nominis velle præsumere... *In Matth.* 20, 12.

Pressura. — Apud Plinium, *opus quo succus exprimitur;* apud S. Hilarium, *ærumna*, *calamitas.*

... omnes tribulationes, omnes *pressuras... In Psalm.* 118, 10, 11. Tert. Cypr. Lact. Cf. *Gœlzer*, p. 252; — *Rœnsch*, p. 43.

Pronomen. — Apud S. Hilarium hæc vox idem sonat atque *articulus* (article).

... offert autem plerumque nobis difficultatem intellegentiæ ratio latinitatis quæ nominibus *pronomina* non est solita præponere. *In Psalm.* 143, 2. Cf. Zingerle, *Kleine philol. Abhand.*, IV, p. 93.

Quinquagesima. — Apud Ciceronem, *vectigal ex quinquagesima census parte constans;* apud S. Hilarium, *numerus quinquagenarius.*

... tribus vero *quinquagesimis* psalmorum liber continetur... *In Psalm.* Instr. 11.

Sermunculus. — Apud Ciceronem, vox *sermunculi* (plur.) idem sonat ac *sermones iniqui*, *maledicta;* apud S. Hilarium *sermunculus* idem ac *brevissimus sermo.*

... in brevem *sermunculum* virtutem superscriptionum omnium coartamus... *In Psalm.* Instr. 17. Cf. *Gœlzer*, p. 122.

II. — De Adjectivo

Inter adjectiva usitata, pauca tantum in novam sententiam a S. Hilario accipiuntur, nempe *incontinens*, *inutilis*, *morosus*, *sæcularis*, *spiritalis*, *visibilis.*

Incontinens. — Apud optimos scriptores : 1° *qui emittit, egerit* (humorem); 2° *avidus*, *intemperans*; apud S. Hilarium, *ita angustus ut rem aliquam capere non possit.*

... cæsamque ex se arcam *incontinentem* condendi corporis confitentur... *De Trinit.*, III, 10.

Inutilis. — Hæc vox idem sonat apud S. Hilarium atque *infirmus*, *invalidus.*

... est infantia lacte depulsa... ad fugam *inutilis... In Matth.* 25, 6.

Morosus. — Apud Ciceronem, *mobilis*, *vagus*, *levis;* apud S. Hilarium, *tardus.*

... adhibito decedendi ex ea non *moroso* recursu... *In Psalm.* 1, 9.

Sæcularis. — Hoc vocabulo, apud Varronem, Livium, Plinium, designantur quidam *ludi* (ludi sæculares); apud

Horatium quoddam *carmen* (carmen sæculare); apud S. Hilarium, *sæcularis* idem fere sonat ac *profanus*, *ad utilitatem corporis præsertim pertinens.*

... *sæcularium* curarum... possessione detentis... *In Psalm.* 118, 8, 2.

Spiritalis. — Apud Vitruvium, *ad ventum* vel *ad spiritum pertinens*, πνευματικός; apud S. Hilarium, *ad mentem pertinens*, *qui nullo sensu percipitur.*

... neque jejunio festivitatem *spiritalis* hujus beatitudinis *impediret... In Psalm.* Instr. 12.

Visibilis. — Apud Plinium, *qui sensum videndi habet;* apud S. Hilarium, *qui sub oculos cadit.*

... cum *visibilis* nobis in gloria paternæ majestatis assistet... *In Psalm.* 118, 17, 12.

Præterea nonnulla reperio quæ vim nominum habent:

Abortiva ... existimati purgamenta mundi et vel *abortiva* gentium... *In Psalm.* 149, 4.

Cani (capilli) ... pater senex miserabiles *canos* filio... ostendat... *In Psalm.* 118, 15, 3.

Concavum ... exstructæ domus *concavo... De Trinit.*, II, 31.

Contigua ... non hic extrema solitudinum aut *contigua* Oceani incolebat... *In Psalm.* 60, 2.

Extima ... et terrarum tantum *extima* Deum metuent... *In Psalm.* 64, 11.

Humilia ... et hanc inumbrantem doctrinâm terræ *humilia* exhalant... *In Psalm.* 134, 15.

Inania ... mundi hujus *inania* et vana... *In Psalm.* 118, 5, 15.

Incertum ... pendulo exspectationis *incerto* mens sollicita... *De Trinit.*, IX, 67.

Infimum ... *infimum* enim Ecclesiæ id est omni humilitate submissum... *In Psalm.* 138, 31.

Inops ... si miserabiliter *inope* calumniante jus opulentiori invideas... *In Psalm.* 144, 14.

Media ... *media* itaque corporis prætermissa sunt... *In Psalm.* 132, 5.

Solida ... constructa parietum... et *solida* lignorum... *De Trinit.*, III, 20.

Vana ... mundi hujus inania et *vana* ... *In Psalm.* 118, 5, 15.

III. — De Verbo

Triginta circiter verbis quibus optimi scriptores utuntur, vim novam a S. Hilario subjectam esse animadverto.

Abnegare. — Apud Vergilium, *recusare*, *rejicere*; apud S. Hilarium, *infitiari*.

... Deum enim Dei Filium *abnegando*... *De Trinit.*, IV, 41.

Abolere. — Apud optimos scriptores, *delere* (aliquid); apud S. Hilarium, *necare*, *interficere* (aliquem).

... qui transit per ignem et aquam, non in his *aboletur*... *In Psalm.* 65, 22.

Absolvere. — Apud optimos scriptores: 1° *solvere* (pecuniam); 2° *judicio liberare;* 3° *perficere;* apud S. Hilarium, *laxare* (vincula).

... asinam ligatam cum pullo ejus *absolvant*... *In Matth.* 21, 1.

Amittere. — Hæc vox quæ apud omnes idem sonat ac *perdere*, idem etiam sonat apud S. Hilarium ac : 1° *desinere ;* 2° *sua sponte exuere.* Cf. *Stix*, p. 11.

... neque *amiserat* (desierat) esse quod manserat... *De Trinit.*, XI, 16.

... *amiserat* (sponte exuerat) tamen cum forma Dei naturæ... unitatem... *De Trinit.*, IX, 38.

Animari. — Apud Ciceronem, *hoc vel illo modo affici ;* apud S. Hilarium, *excitari*, *impelli*.

... per eum (diabolum) *animabatur* (Judas)... *In Psalm.* 142, 2.

Breviare. — Apud Quintilianum, *contrahere* (syllabam) ; apud S. Hilarium, *minuere numerum*.

... *breviandi* dies propter electos Dei... *Contra Constant.*, 1.

Cognominare. — Apud Plinium et Suetonium, *cognomen alicui imponere;* apud S. Hilarium, *nomen cum nomine conjungere*.

... nec si stet Moyses et Samuel, Moysi *cognominatus* et coæquatus sit... *In Psalm.* Instr. 4.

Contestari. — Apud Ciceronem, *testem adhibere* aut etiam *certamen instituere ;* apud S. Hilarium, *profiteri*, *declarare.*

... cujus regni perennitatem Daniel ita *contestatus est... In Psalm.* 144, 1.

Cruciare. — Apud Ciceronem, *torquere ;* apud S. Hilarium, *cruci affigere.*

... cum Christum Deum prædicamus *cruciatum... In Psalm.* 122, 10. Front. Lact.

Deesse. — Apud optimos scriptores, *deficere*, *desiderari ;* apud S. Hilarium, *desinere.*

... si non aliquando *defuerit* vel Deus esse vel Filius... *De Trinit.*, XI, 2.

Denegare. — Apud Ciceronem et Cæsarem, *abnuere* ; apud S. Hilarium, *infitiari*, *negare.*

... qui verum Deum, Filium Dei *denegat* .. *De Trinit.*, V, 9.

Deserere. — Apud optimos scriptores, *relinquere ;* apud S. Hilarium, *abhorrere* (*ab*), *alienus esse.*

... nomen igitur naturæ, fidei nostræ non *deserit professionem... De Trinit.*, VII, 13.

Desperare. — Apud optimos scriptores, *opem perdere ;* apud S. Hilarium, *negare aliquid alicui aptum esse.*

... quanta furoris hæretici stultitia est, *desperare* id Deo quod humanis suis spebus blandiatur. *De Trinit.*, XI, 43.

Destinare. — Apud optimos scriptores, plerumque *statuere*, *præfinire ;* apud S. Hilarium, *mittere.*

... et nocturnis itineribus exercitum suum... *destinasset... In Psalm.* 137, 5.

Differri. — Hæc vox idem apud S. Hilarium sonat quod apud Plautum et Terentium, scilicet *confici*, *animo torqueri.*

... æstuo, *differor*, hebesco et unde incipiam nescio... *De Trinit.*, II, 12.

Elevare. — Apud optimos scriptores, *minuere* (dolorem, auc-

toritatem, etc.); apud S. Hilarium, *terra sublevare*. Cf. *Gœlzer*, p. 247.

... Judæi lapides *elevaverunt*... *De Trinit.*, VII, 23.

Eructare. — Apud optimos scriptores, *a stomacho rejicere* atque etiam *mittere* (contumeliosas voces); apud S. Hilarium, *mittere* (liberalia etiam verba).

... omne prophetiæ eloquium sub *eructandi* significatione meminerimus ostendi... *In Psalm.* 118, 22, 2.

Evacuare. — Apud Plinium, *vacuefacere;* apud S. Hilarium, *delere*, *abolere*. Cf. *Gœlzer*, p. 256; — *Rœnsch*, p. 363.

... cum *evacuaverit* omnem magistratum... *De Trinit.*, XI, 26.

Frequentare. — Apud optimos scriptores, *adire sæpe* (aliquem) aut etiam *congregare;* apud S. Hilarium, *prædicare*.

... non descendentem panem vivum de cælo, quod cum multorum scandalo de se *frequentat*... *De Trinit.*, IX, 33.

Immadescere. — Apud Plinium, *madefieri* (prop.); apud S. Hilarium, *ornari*, *expleri* (bonis, donis).

... *immadescere* se dono divini eloquii desiderat... *In Psalm.* 142, 7.

Imprecari. — Apud optimos scriptores, *mala precari;* apud S. Hilarium, *orare*.

... *imprecatus* superius ne dormitaret... *In Psalm.* 120, 10. Cf. *Gœlzer*, p. 267.

Infatuare. — Apud Ciceronem, *stultum reddere;* apud S. Hilarium, *saporem adimere*.

... ne *infatuati* nihil salliant... *In Matth.* 4, 10.

Initiare. — Apud Ciceronem, *sacra tradere;* apud S. Hilarium, *fundamenta ponere*.

... non super fluxam et dilabentem arenam *initianda* (domus Dei) *In Psalm.* 126, 8. Tert.

Invalescere. — Apud Ciceronem, *vires acquirere;* apud S. Hilarium, *viribus superare*.

... Jacob adversus Deum *invaluit*... *De Trinit.*, IV, 31.

Jubere. — Hæc vox hoc singulare sonat apud S. Hilarium, nempe *dare leges*, *imperio regere*.

... *Jubere* ventis... *De Trinit.*, VII, 36.

Manducare. — Apud Plinium et Senecam, *dentibus extenuare;* apud S. Hilarium, *vesci*. Cf. *Gœlzer*, p. 177.

... labores fructuum suorum *manducabunt*... *In Psalm.* 127, 6.

Manere. — Verbum notissimum *manere* idem valet apud S. Hilarium, atque *esse*.

... dum Deus ex Deo *manens* (ὤν), non est aliunde quod Deus est... *De Trinit.*, VII, 31. Cf. *Stix*, p. 19.

... esse autem in forma Dei non alia intellegentia est quam in Dei *manere* natura... *De Trinit.*, IX, 39. Cf. *Stix*, p. 5.

Negare. — Hæc vox hoc singulare sonat apud S. Hilarium, nempe *ejurare* (aliquem).

... ter eum *negaturum* se esse respondit... *De Trinit.*, X, 37.

Peregrinari. — Apud optimos scriptores, *iter facere* vel *versari in terra aliena*, vel etiam *minime notescere* (si de rebus agitur); apud S. Hilarium *dejici* aut *repelli* (a spe).

... a spe Evangelii *peregrinantur*... *De Trinit.*, IX, 51.

Regenerare. — Apud Plinium, *ferre similitudinem;* apud S. Hilarium *vitia tollere*.

... cum prima nos libri hujus quadragesima *regeneret* ad innocentiam... *In Psalm.* 150, 1.

Relaxare. — Apud S. Hilarium, hæc vox hoc singulare sonat nempe *debitoribus condonare* (pecunias).

... omne Dominus debitum *relaxavit*... *In Matth.* 18, 11.

Superinduere. — Apud Suetonium, *induere* (vestem); apud S. Hilarium, *augere* (honoribus).

... *superinduta* sit honore cælesti... *In Psalm.* 67, 37.

Ventilare. — Apud S. Hilarium, hæc vox hoc singulare sonat, nempe *abditos sensus exquirere*. Cf. *Gœlzer*,, p. 256.

... neque ratione aliqua virtutes Dei *ventilare*... *De Trinit.*, X, 70.

IV. — De Participio

Occurrunt aliquot participia quibus vis nova a S. Hilario subjecta est.

Absistens. — Apud optimos scriptores, *discedens;* apud S. Hilarium, *deficiens*.

... malignum animum... *absistente* mali operis occasione, non deserit... *De Trinit.*, VII, 23.

Impetratus. — Apud optimos scriptores, *obtentus;* apud S. Hilarium, *auditus*, *benigne exceptus*.

... effectum autem *impetratæ* orationis... euangelista ostendit... *De Trinit.*, X, 42.

Destrictus. — Apud optimos scriptores, *detractus*, *eductus* (e vagina) ; apud S. Hilarium, *conjunctus*.

... hæc enim ut officiis mutuis sibi, ita et amore *destricta sunt*... *In Psalm.* 132, 3.

Intentus. — Apud optimos scriptores, *conversus* (ad) ; apud S. Hilarium, *rectis oculis consideratus*.

... solis claritatem virtus *intenti* luminis obstupescit... *De Trinit.*, X, 53.

Obtentus. — Apud optimos scriptores, *impetratus;* apud S. Hilarium, *benigne exceptus*.

... *obtentæ* precis, manifesta securitas est... *De Trinit.*, X, 42.

Protensus. — Apud optimos scriptores, *extentus*, *productus* (prop.) ; apud S. Hilarium, (verbis) *amplificatus*.

... quem extrinsecus *protensi* sermonis potestas ad virtutem operationum confirmaverit... *De Trinit.*, X, 51.

Quatuor participia vim nominum habent.

Consequentia ... *consequentia* corporis sustinens sine corpore Deus... *De Trinit.*, VI, 4.

Constructa ... *constructa* parietum penetrans... *De Trinit.*, III, 20.

Editum ... aut collis *edito*, aut exstructæ domus concavo... *De Trinit.*, II, 31.

Lactens ... Christum... parvuli *lactentesque* sint prædicaturi... *In Matth.*, 21, 5.

Duo alia participia in locum adjectivorum supponuntur.

Consistens ... intra Patris substantiam *consistentem*... *In Matth.*, 4, 14.

Dignans ... *dignantissime* imperator... *Ad Constant.*, 2, 3.

PARS SECUNDA

DE DECLINATIONE

CAPUT PRIMUM

DE NOMINUM DECLINATIONE

Pauca sunt apud sanctum Hilarium quæ de nominum declinatione notanda reperio.

I. — De prima declinatione

Occurrit nomen *divitia*, *æ*.

... novit et Paulus *divitiæ* suæ glorias... *In Psalm.* 118, 8, 4.

Aliquot nomina græca e tertia declinatione ad primam latine translata sunt nempe :

Didrachma, *æ*, pro *didrachma*, *tis* (p. 27).
Rheuma, *æ*, pro *rheuma*, *tis* (p. 29).
Theoteta, *æ* pro *theotes*, *theotetis* (p. 29).
N. B. Occurrit etiam *didrachma*, *tis* (p. 27).

Vox hebraïca **zizania** quæ in græcum conversa secundæ declinationi subjicitur, ad primam etiam latine translata est (p. 30).

Vox **manna** quæ casibus caret, flectitur apud S. Hilarium.

... Iter maris et *mannæ* spiritalis cibus... *In Psalm.* 67, 27.

II. — De secunda declinatione.

Procinctus (nom.) cujus supersunt tantum accusativus atque ablativus, in nominativo etiam a S. Hilario ponitur.

... ne in aliquo minor sit exspectatione *procinctus*... *De Trinit.*, VIII, 3.

Nomen **cærimonia**, *æ*, e prima declinatione ad secundam translatum est.

... profano *cærimoniorum* cantu mundum resultantem... *In Psalm.* 64, 10.

Idem dicendum de **spica**.

... hoc enim prout Deus vult, vestit in *spico*... *In Psalm.* 62, 6. Cf. Neue, *Formenl.*, I, 550.

Tria nomina e tertia declinatione ad secundam translata sunt ; hæc sunt :

Altarium, *i*, pro *altare*, *is* (p. 16).
Diaconus, *i*, pro *diacon*, *is* (p. 27).
Insignium, *i*, pro *insigne*, *is* (p. 16).
N. B. Vox **diacon,** *is*, ipsa quoque occurrit (p. 27).

Reperitur **funiculum** (neut.) pro *funiculus* (masc.).

... portio et *funiculum* hereditatis secundum Moysen... *In Psalm.* 126, 16.

Reperiuntur etiam **tricenus, octonus, quinquagenus, sexagenus.** Cf. Neue, *Formenl.*, I, 105.

... hæc ergo habet *tricenum*... fructum... *In Psalm.* 64, 6.
... in *octonum* numerum per octonos versus secundum Hebræos singularum litterarum initia collecta sunt... *In Psalm.* Instr. 14.
... virtutibus sub *quinquageno* numero collocatis... *In Psalm.* Instr. 11.
... hæc ergo habet... *sexagenum*... fructum. *In Psalm.* 64, 6.

Denique occurrunt genetivi **Judicium** (Judiciorum) **thronum** (thronorum).

... post *judicium* autem oris Dei publicam et constantem prædicationem id sequitur... *In Psalm.* 118, 2, 9. Cf. Zingerle, *Wiener Studien*, 1886, p. 340.

... scit... diversas esse præceptorum observantias, angelorum, archangelorum, *thronum*, dominationum... *In Psalm.* 118, 3, 10. Cf. Bücheler, *Grundriss der latein. Declinat.*, p. 86.

III. — De tertia declinatione

Occurrunt : 1° nominativi **idem** (plur.), **vulpis** (vulpes).

... cumque his libris quos regi *idem* translatores ediderant... *In Psalm.* 11, 3. Cf. Neue, *Formenl.*, II, 200.

... quia et Herodes est *vulpis*... *In Psalm.* 62, 11. Cf. Neue, *Formenl.*, I, 181.

2° Accusativus **ædem** pro accusativo *ædes* vel *domum* et **duo** pro *duos*.

... volenti unamquamque *ædem* aperire... *In Psalm.* Instr. 24.

... non quod unus divisus in *duo* (deos) sit... *In Psalm.* 122, 7. Cf. Neue, *Formenl.*, II, 147.

3° Genetivi **Moysei, Moysi** (Moysis, Mosis), **precis, requiei, augurium** (augurum), **duum** (duorum) **miserantum, negantum, persequentum.**

Precis ... obtentæ *precis* manifesta securitas est... *De Trinit.*, X, 42.

Moysei, Moysi ... Ut *Moysei* sint libri quinque... *In Psalm.* Instr. 15. Cf. Neue, *Formenl.*, I, 333.

... sed et *Moysi* et Salomonis tabernaculum concidit... *In Psalm.* 14, 3. Cf. Neue, *Formenl.*, I, 333.

Requiei ... si ergo *requiei* nostræ spes omnis in Christi est corpore... *In Psalm.* 14, 5. Cf. Krebs, II, p. 461.

Augurium ... *augurium* fides fallit... *In Psalm.* 137, 10. Cf. Neue, *Formenl.*, I, 103.

Duum ... ut in ore *duum* testium fides verbis ac veritas maneat... *In Matth.* 18, 7.

Miserantum ... et aliorum miseriam fastidientes eguisse *miserantum*... *In Psalm.* 14, 11.

Negantum, persequentum ... quia huic sanctorum spei vel *persequentum* odia vel *negantum*... *In Psalm.* 56, 5.

3° Dativus **illo** pro *illi*.

... suavi *illo* mansuetudinis jugo subditum est... *In Psalm.* 130, 4. Cf. Neue, *Formenl.*, II, 210.

4° Ablativi **nemine, forte, isdem.**

... *nemine* audiente, irridentur a Deo... *In Psalm.* 58, 9. Cf. Krebs, II, p. 128.

... ligato enim prius intra domum suam *forte*... *In Psalm.* 67, 8. Cf. Neue, *Formenl.*, II, 33.

... et in *isdem* ac per eadem sine ulla consistendi statione differtur... *In Psalm.* 1, 7. Cf. Neue, II, 200.

Pro voce **pentecoste**, *es*, qua Tertullianus utitur, habet S. Hilarius vocem **pentecostas,** *adis* (p. 29).

Stater desinit in *em* apte ad latinam rationem, non in *a* apte ad græcam (p. 29).

Vox hebraïca **corban,** more Græcorum flectitur, et desinit in *an;* subjicitur primæ Græcorum declinationi, cum tertiæ subjicienda esset (*corban*, *os*, *a*) (p. 30).

Tria adjectiva e secunda declinatione ad tertiam translata sunt; hæc sunt :

Inanimis pro *inanimus* (p. 37).
Infirmis pro *infirmus* (p. 37).
Sinceris pro *sincerus* (p. 34).

... quorum pura et recta et *sinceris* oratio est... *In Psalm*, 140, 2. Cf. Rœnsch, p. 274.

IV. — De quarta declinatione

Occurrunt : 1° genitivi **arcum** (arcuum), **sinuum.**

... non hic propheta... aut jacula, aut tormenta *arcum* pertimescit... *In Psalm.* 63, 7. Cf. Bücheler, *Grundriss der latein. Declinat.*, p. 84.

... quid intra secessus maternorum *sinuum* coaluisse...? *De Trinit.*, X, 54.

2° Dativi **cœtu, habitu, usu, sinibus, visibus.**

... angelorum frequentium *cœtu* admiscebitur... *In Psalm.* 136, 11. Cf. Bücheler-Windekilde, *Declinat.*, p. 110.

... et ipsi *habitu* servili id donatur... *In Psalm.* 143, 7. Cf. Bücheler, *Ibid.*

... nisi forte huic terrenorum metallorum *usu*, non magis æternitatis repositæ divitiæ, honor et gloria præfertur... *In Psalm.* 118, 5, 14. Cf. Bücheler, *Ibid.*

... scit indiligentem esse medicum putribus vulnerum *sinibus* parcentem... *In Psalm.* 118, 9, 1.

... cælum hoc quod visibus nostris... subjacet... *In Psalm.* 122, 2.

V. — De quinta declinatione

Occurrunt genetivus *specierum* et dativi *aditibus*, *spebus*.

... per demutationem nominum atque *specierum*... *De Trinit.*, VII, 39.

... non enim hæc *spebus* nostris bona sunt coæterna... *In Psalm.* 61, 8.

... scit cetera vitiorum genera illecebrosis *aditibus* ingruere... *In Psalm.* 118, 8, 11. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 283.

CAPUT SECUNDUM

DE COMPARATIVO ET SUPERLATIVO

I. — De comparativo

S. Hilarius utitur comparativo **proprior.**

... ante conspectum... Dei tanquam lege officii *proprioris* assistunt... *In Psalm.* 118, 6, 8. Cf. Neue, II, p. 206 ; — Zingerle, *Kleine philol. Abhand.*, IV, p. 93.

II. — De superlativo

Reperiuntur quatuor tantum superlativa quæ a communi consuetudine discedant:

Demersissimus ... in *demersissimo* erroris profundo locati... *In Psalm.* 64, 3.
Impiissimus ... *impiissimis* vitiis ac religionibus subditas... *In Psalm.* 52, 20. Cf. Gœlzer, p. 286; — Neue, II, p. 206.
Meritissimus ... *meritissima* impiæ obstinationis clade percussæ sunt... *In Psalm.* 118, 8, 15.
Piissimus ... nisi *piissima* ea esse per id intellegantur... *De Trinit.*, VIII, 2. Cf. Gœlzer, p. 286.
Profanissimus ... ob infidelitatem origo *profanissimi* generis deputatur... *In Psalm.* 52, 19.

CAPUT TERTIUM

DE VERBORUM DECLINATIONE

I. — De verbis activis

De verborum activorum declinatione nihil aliud reperio quam vocabula insolita, **poterint, sapuisset.**

... forte quatuor illa genera odorum... singulis quoque generibus *poterint* consummandæ orationis aptari... *In Psalm.* 140, 2. Cf. Neue, II, 602.

... sed fidem ejus qui in se nihil nisi corporeum et carnale *sapuisset*, arguerit... *De Trinit.*, IX, 18.

Verbum **indulgere** ad tertiam declinationem transfertur. Cf. Neue, II, 427.

... hæc filiis Sion cognitio regis *indulgit*... *In Psalm.* 149, 4.

II. — De verbis passivis

Occurrunt quædam verba passiva prorsus insolita. Cf. Neue, III, 8, 104.

Careri ... rependitur quod *caretur* (deest)... *De Trinit.*, X, 28.
Emigrari ... Dei tabernaculo revelletur et *emigrabitur*... *In Psalm.* 51, 16.
Instari ... præceptum autem omne brevitate collectum est, ut memoriæ mandetur,... temperetur, *instetur*... *In Psalm.* 14, 2.
Transmigrari ... de tabernaculo evulsus et *transmigratus est*... *In Psalm.* 51, 14.

Occurrit etiam forma passiva **responsus est.**

... extra omnem peccati labem vivens hic esse *responsus est*... *In Psalm.* 14, 6.

III. — De verbis impersonalibus

Utitur S. Hilarius vetustis vocabulis **oportent, oporteant, oportuissent.**

... de his autem quæ de Ægypti negotiis intellegi spiritaliter *oportent*... *In Psalm.* 135, 14.
... tametsi... generationis quoque primæ et generationis sequentis referri *oporteant*... *In Psalm.* 138, 1.
... quæ contineri religione mentium *oportuissent*... *De Trinit.*, II, 2.

Utitur etiam vocabulis *pænitemus*, *pæniterent*, *pænituissent*. Cf. *Gœlzer*, p. 288.

... decretis *pænitemus*... *Ad Constant.*, 2, 5.
... ut... super contumelia illusæ humilitatis corporeæ *pæniterent*... *In Psalm.* 2, 26.
... exprobrare civitatibus illis cœpit, in quibus plures virtutes ejus effectæ essent, nec *pænituissent*... *In Psalm.* 118, 3, 18.

CAPUT QUARTUM

DE PARTICIPIO

Reperiuntur apud S. Hilarium aliquot participia vel *instantis* vel *præteriti* temporis quæ sunt parum aut minime usitata.

1° Participia *instantis* temporis.

Nolens ... *nolens* manere, ita ait... *De Trinit.*, VI, 48.

Volens ... *volens* enim naturæ unitatem in Patre et Filio docere... *De Trinit.*, VIII, 21.

2° Participia *præteriti* temporis.

Abominatus (pass.) ... percussit Dominus Sodomam et Gomorrham ultimis sceleribus pollutas et *abominatas*... *In Psalm.* 68, 22.

Absconsus ... cur autem diei scientia *absconsa* sit non in obscuro est... *De Trinit.*, IX, 67.

Absorptus ... et *absorpta* corruptione ex mortali immortalis exsistat... *In Psalm.* 118, 15, 8.

Clamatus ... ergo nunc qui ore *clamatus* est, exaltatur sub lingua... *In Psalm.* 65, 28.

Coalitus ... resistit ergo *coalitis* sibi naturæ suæ vitiis... *In Psalm.* 118, 16, 17.

Contemplatus ... eos visio tantum et dignatio *contemplatæ* majestatis illuminet... *In Psalm.* 118, 8, 8.

Degeneratus ... ausi sunt ei... dissimilitudinem, *degeneratæ* essentiæ naturalis ingerere... *De Synod.*, 20.

Indultus ... protectionis meritum ex fide orationis *indultum*... *In Psalm.* 60, 4.

Medullatus ... ut ex nobis holocausta *medullata* consumment... *In Psalm.* 65, 24.

Nescitus ... quædam *nescitarum* ac desideratarum rerum magistra... *De Trinit.*, XII, 45.

Pervasus ... zelo enim domus Dei *pervasus* hæc agit... *In Psalm.* 68, 10.

Supercreatus ... postmodum natum vel *supercreatum* in filium... *De Trinit.*, IV, 12.

Suppuratus ... *suppuratis* deinde consiliis omnibus... advocatur... *Ad Constant.*, I, 8.

Transcursus ... jam *transcursam* a se atque tritam in prophetis semitam percurrit... *In Psalm.* 138, 10.

CAPUT QUINTUM

DE GERUNDIO

Utitur S. Hilarius gerundio inusitato (**ad**) **volendum.**

... ut aut velle aliquid, nisi *ad volendum* sit, putetur... *De Trinit.*, IX, 72.

CAPUT SEXTUM

DE ADJECTIVO QUOD IN -*NDUS* CADIT

Occurrunt duo adjectiva inusitata, **subrependus** et **transeundus.**

... nullum in hac temporis vita *subrependæ* oblivionis tempus admisit... *In Psalm.* 118, 6, 7.

... et *transeundi* calicis deprecatio absoluta est... *De Trinit.*, X, 43.

PARS TERTIA

DE VOCABULORUM STRUCTURA

S. Hilarii scripta vel strictim attingenti perspicum mox erit ea referta esse cum vocabulis tum locutionibus ex Sacra Scriptura deductis; neque id mirum videtur cum *Tractatus super Psalmos* et *Commentarius in Matthæum* conscripti sint ad explanandam Sacram Scripturam; liber autem *de Trinitate*, liber *de Synodis*, libri vel *ad Constantium* vel *contra Constantium*, liber *contra Auxentium* ad refellenda Arianorum dicta; quod minus prospere cederet, si quis Scripturæ Sacræ testimonium perpetuo denuntiandi curam non haberet.

Atqui magni negotii est interdum discernere quid de vocabulorum structura S. Hilario assignandum videatur; quo felicius rem geramus, hæc nostra erit ratio.

Primo, quotiescumque occurrent ipsa Sacræ Scripturæ verba, ea silentio prætermittam; in his enim si quis consisteret, ostenderet tantum quæ sit structura vocabulorum in Sacra Scriptura cujus verba usurpantur, non apud S. Hilarium, quod a proposito meo discedit.

Deinde cum animadvertam S. Hilarium sive ad explanandam Sacram Scripturam, sive ad exponendam christianam rationem, uti locutionibus deductis vel ex ipso libro quem explanat vel ex aliis Sacræ

Scripturæ libris, ne unum quidem verbum aut saltem paucissima immutando, eas quoque relinquam.

Ita sublatis omnibus quæ aliena sunt, præterquam quod a via mea non aberrabo, in eam spem adducor ut ipsa aut saltem fere ipsa Hilariana scriptura ante oculos mihi versetur.

CAPUT PRIMUM

DE GENERE

Quod ad genus attinet, S. Hilarius justa reprehensione caret, cum bis tantum a communi consuetudine discesserit.

Vox feminini generis **convallis**, quæ plurali numero ejusdem generis est apud optimos scriptores, fit neutrius generis apud S. Hilarium.

... hæc *convallia* quæ aspectui nostro subjacent... *In Psalm.* 64, 19.

Vox **sputum** quæ neutrius generis est apud Petronium et Celsum, fit masculini generis apud S. Hilarium.

... cujus *sputus* et sermo natura corporis est... *De Trinit.*, X, 46.

CAPUT SECUNDUM

DE NUMERO

Apud S. Hilarium non pauca reperiuntur pluralia nomina quæ a grammaticis *incorporalia* vocantur; hæc sunt:

Admirationes ... oculi non deflectuntur in aliquas superfluarum rerum *admirationes*... *In Psalm.* 140, 14.

Auctoritates ... ex propheticis *auctoritatibus*, ad spiritalem nos scientiam cohortatur... *In Psalm.* 136, 6.

Beatitudines ... qui enim memoria recenseat antiquas gloriæ ejus et innumeras *beatitudines?*... *In Psalm.* 51, 19.

Claritates ... non dico ad angelorum *claritates* hoc humanæ visionis lumen habetari... *In Psalm.* 118, 8, 7.

Concupiscentiæ ... crucifixerunt corpus cum vitiis et *concupiscentiis*... *In Matth.*, 10, 25.

Contritiones ... quorum alligaverit *contritiones* nominibus vocet... *In Psalm.* 146, 5.

Creationes ... magnificentiam Dei omnes hujus quoque mundi *creationes*... testentur... *In Psalm.* 118, 12, 9.

Diversitates ... sacrificiorum *diversitates* et holocaustomatum religiones... *In Psalm.* 91, 1.

Divisiones ... fides... quæ interim donorum *divisionibus* adornatur... *In Psalm.* 64, 6.

Efficientiæ ... his secundum naturales eorum virtutes et *efficientias* utetur... *In Psalm.* 134, 1.

Ebrietates ... oderimus rixas et *ebrietates*. *In Psalm.* 118, 13, 13.

Exsilia ... *exsiliis* episcoporum... vires auctæ sunt profanorum... *De Synod.*, 63.

Imbecillitates ... omnes *imbecillitatum* nostrarum dolores cum corpore ejus... moriuntur... *In Matth.*, 31, 10.

Impietates ... omnibus fallaciis eorum et *impietatibus* editis... *De Trinit.*, IV, 1.

Inanitates ... propositionum adversarum demonstratæ *inanitates*... *De Trinit.*, I, 29.

Irreligiositates ... humanum errorem a stultissimis his *irreligiositatum* studiis avertat... *In Psalm.* 134, 26.

Lapidationes ... mortibus se et *lapidationibus* offerendo... *In Matth.*, 21, 2.

Latitudines ... sed plateas *latitudines* esse græcus sermo designat... *In Psalm.* 118, 4, 12.

Luxus ... conviviorum *luxibus* occupantur... *In Psalm.* 138, 34.

Mortes .... *mortibus* et lapidationibus se offerendo... *In Matth.*, 21, 2.

Multiplicationes ... nomini ejus *multiplicationes* gentium pollicetur... *De Trinit.*, V, 13.

Obscuritates ... cohabitationes habitantium in *obscuritatibus* odisset... *In Psalm.* 119, 22.

Procreationes ... subrepunt præfringentium manibus quædam fragmentorum *procreationes*... *De Trinit.*, III, 6.

Sanitates ... sciens... in quæ genera *sanitatum* his utendum sit... *In Psalm.* 134, 1.

Superbiæ ... oderimus rixas et ebrietates, cædes et *superbias*... *In Psalm.* 118, 13, 13.

Vexationes ... ministeriis enim impiorum utuntur ad *vexationes* tribulationesque sanctorum... *In Psalm.* 55, 3.

Vitæ ... conspexeratis... mortuorum *vitas* revertentes... *De Trinit.*, VI, 33.

CAPUT TERTIUM

DE USU CASUUM

Agitur hic tantum de casibus qui cum præpositionibus non junguntur.

I. — De accusativo

Verba **credere**, **maledicere**[1], **triumphare**[2], **vetare**[3], cum accusativo junguntur :

... eorum... qui *Deum crederent... De Trinit.*, IV, 15.
... illam nativitatis suæ *diem maledicit... In Psalm.* 119, 19.
... *potestates* dehonestatas cum fiducia *triumphavit... In Psalm*. 68, 14.
... ea *vetuit munera* quæ integritatem judicii corrumperent... *In Psalm.* 14, 16.

Accusativus reperitur junctus cum verbo **exuere**[4], ad designandam rem qua aliquis se expedit.

... *carnem* se *exuit... De Trinit.*, IX, 10.

II. — De dativo

Adjectivum **residuus** cum dativo jungitur.

... Qui *vastationi ejus residui* erant... *In Psalm.* 124, 2.

Idem dicendum de verbis **adorare**, **calumniari**, **coæquare**, **cognominare**, **absistere**.

1. Cf. Gœlzer, p. 302; — Rœnsch, p. 440.
2. Cf. Gœlzer, p. 305.
3. Cf. Verg., *Æn.*, II, 84 ; — Ov., *Fast.*, II, 15, 41.
4. Cf. Kühner, II, 1, p. 205.

... ubi *diis alienis adoravit... In Psalm.* 118, 20, 8.
... numquid Abraham *calumniatus est Deo... De Trinit.*, X, 68.
... nec si stet Moyses et Samuel, Moysi *cognominatus* et *coæquatus sit... In Psalm.* Instr. 4[1].
... nec virtuti ejus ratio, nec *rationi* virtus *absistat... De Trinit.*, XII, 20.

III. — De genetivo

Genetivus cum quibusdam nominibus insolenter jungitur.

... cujus itaque *cathedræ sessionem* (in cathedra) existimabimus pestilentem... *In Psalm.* 1, 10 (*sessio in cathedra*, cum locutione « in sella sedere » optimi scriptores uti soleant). Cf. Cic., *Divin.*, 1, 46.
... ad *introitum* illum *regni* cælestis (in regnum)... reservabuntur... *In Psalm.* 120, 16.
... ipsis se quodam modo corporibus exuerunt ad *ingressum viæ* talis oblatis (in viam)... *In Matth.*, 21, 2.
... *blasphemiæ Spiritus* (in Spiritum) indulgentiam abnegans... *In Matth.*, 12, 17.
... post multum *sermonem aquæ* vivæ... *De Trinit.*, II, 31 (post *sermonem de aqua* viva, quia usitata locutio hæc est : *sermo de aliqua re*). Cf. Cic., *De Orat.*, II, 73.
... *somni objurgatio* et rursum *adhortatio*, nihil ambiguitatis relinquunt... (objurgatio *de somno* et adhortatio *ad somnum*). *De Trinit.*, X, 43.

Quidam genetivi hebraïcum sermonem redolent[2].

... *humilitatis operibus* promereri... *In Matth.*, 20, 12.
... *in factis iniquitatis* miraculi plena meditatio... *In Matth.*, 32, 6.
... unigenitum Deum et *dilectionis suæ filium... De Trinit.*, IX, 60.
... *operarios iniquitatis*... non novit dicens... *De Trinit.*, IX, 65.

Verba **dominari**[3], **erubescere**, cum genetivo junguntur.

1. Cf. Gœlzer, p. 315.
2. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 323.
3. Cf. Rœnsch, p. 438 ; — Goelzer, *Ibid.*, p. 322 ; — Dræger, *Synt.*, I, 494.

... mors æqualiter *dominatur universorum*... *In Psalm.* 118, 15, 7.

... non *erubescimus stultitiæ*... *De Trinit.*, III, 18.

IV. — De ablativo

Verbum **cavere,** cum ablativo sine præpositione jungitur[1].

... propheta,... *quibus* maxime malis *cavere* debeat docet... *In Psalm.* 119, 9.

Ablativus absolutus usurpatur, contra puram loquendi consuetudinem.

... postea ergo quam *increpitis his*, *principes* Sodomorum et principes Gomorræorum esse meruerunt, tum ad gentes cognitio Dei scientiaque defluxit... *In Psalm.* 67, 32. Cf. Dræger, *Synt.*, II, 812.

1. Cf. Plaut., *Bacch.*, I, 239 ; — Kühner, II, 1, p. 248.

CAPUT QUARTUM

DE PRÆPOSITIONIBUS CUM CASIBUS JUNCTIS

Dum progrediente ætate latina lingua a puro dicendi genere discedit, in eam consuetudinem paulatim adducuntur scriptores ut res earumque cum aliis rebus conjunctionem, minus sæpe quam ante uno tantum vocabulo significent, sæpius vero ad præpositionum opem confugiant; quem S. Hilarius morem manifesto consequitur. Agetur autem :

a) **De præpositionibus junctis cum accusativo;**
b) **De præpositionibus junctis cum ablativo;**
c) **De præpositione *in* quæ cum utroque casu jungitur.**

I. — De præpositionibus cum accusativo junctis

Ad

Præpositio **ad** sequitur nomen *cura* et nomen *regeneratio.*

... nec par ejusdem potest esse *ad sæculum* atque *ad Deum cura* (*sæculi* et *Dei cura*). *In Matth.*, 5, 5.

... dum *regeneratio ad vitam* mors esset ex vita... *De Trinit.*, I, 13.

Sequitur etiam quædam verba :

Certare ... tu autem *ad Patrem* Deum *certas* (cum Deo Patre)... *Contra Constant.*, IX. Cf. Cic., *Off.*, III, 22, 27.
Docere ... bonos *ad bonitatem docere*... *In Psalm.* 118, 15, 6.
Edocere ... nos *ad cognitionem* filii Dei *edocet*... *In Psalm.* 131, 1.

Loqui ... secundum Raphael *ad Tobiam loquentem... In Psalm.* 129, 7.

Renasci ... fidelium *ad innocentiam renatorum* verba... *In Psalm.* 143, 13.

Præterea ponitur « ubi una cum aliqua re aut ea jam perfecta, aliquid quod cohæret fieri vel esse dicitur[1] ».

... libertas Dei a nobis in ea quam omnibus debemus servitute retinenda est, ne *ad* potentium *impetus terreamur* ne *ad* malevolorum *arbitria cedamus... In Psalm.* 14, 12.

... *flentes ad recordationem* Sion, amissorum desiderio et præsentium calamitate ingemiscunt... *In Psalm.* 136, 6.

... quis enim non *trepidet ad majestatem* ejus... *In Psalm.* 65, 6.

... quod necesse est ad montes hos referri qui *ad solum* Dei *tactum fumabunt... In Psalm.* 143, 9.

... *pendet ad occasiones* adulteriorum... *In Psalm.* 125, 5.

Ante

Præpositio **ante** cum accusativo juncta, insolenter usurpatur in locutionibus quibus aliquod vocabulum necessarium subtrahitur.

... non Judæum potius negantem Christi *ante sæcula æterna divinitatem... De Trinit.*, XII, 36 [divinitatem (*quæ erat*) ante sæcula].

Apud

Idem dicendum est de præpositione **apud**, quod de præpositione **ante.**

... Caret *apud Patrem intercessionis* necessitate perfecta de Filio fides... *De Trinit.*, VI, 31 (intercessione *quæ sit*, *quæ fiat* apud Patrem).

Per

Præpositio **per** cum accusativo juncta, verbo passivo sæpe subjicitur et ablativi locum tenet.

... nunc *per prophetam* grandior profundiorque ratio *prophetatur... In Psalm.* 67, 23.

... ad motum aquæ *per Angelum incitatæ... In Psalm.* 91, 5.

1. Cf. Gœlzer, *In Sulpic. Sev. observ.*, p. 49.

... non *deflectitur*, non *detorquetur per* terrenas *cupiditates*... *In Psalm*. 118, 16, 17.

... domus ergo *ædificanda per Deum est*... *In Psalm*. 126, 8.

... laqueis mortis... *per gloriam* resurrectionis *eripitur*... *In Psalm*. 143, 14.

... erat enim *per eum* omnis *implenda* justitia, *per quem* solum lex poterat *impleri*... *In Matth*., 2, 5.

... mulierculis *per Angelum adhortatis*... *In Matth*., 33, 9.

... *per dominum* cenæ *occupato* loco... *In Matth*., 20, 12.

... *per eum* (angelum) *confortato* domino... *De Trinit*., X, 40.

... sic *per Magos* cunarum sordes *adorantur*... *De Trinit*., II, 27.

... *clarificatur* ergo *per Filium* Pater... *De Trinit*., III, 13.

Per cum accusativo jungitur in locutionibus quibus aliquod vocabulum necessarium subtrahitur.

... Arius ei *Euangelia per solum* Mariæ *Filium* non relinquit... (euangelia *edita per solum* Mariæ *Filium*). *De Trinit*., VII, 7.

... quid hic æquanimitatem, quid *per voluntatis assensum* animæ et cordis *unitatem* introducis?... (unitatem *firmatam* per voluntatis assensum). *De Trinit*., VIII, 11.

Secundum

Secundum cum accusativo jungitur in locutionibus quibus aliquod vocabulum necessarium subtrahitur.

... loquitur (Angelus ad Agar) non *res secundum nomen* officii sui... (res *quæ sint* secundum nomen officii sui). *De Trinit*., IV, 23.

Præpositio **secundum** cum accusativo juncta, idem valet atque **ut, utpote.**

... ut qui omnia *secundum hominem* passus, idem omnia *secundum hominem* loquatur... *In Psalm*. 53, 4.

Idem etiam valet ac *non secus ac*, *perinde ac*.

... Manichæum, *secundum* hæreticæ insaniæ *prædicatores*, pia Ecclesiæ fides damnat... *De Trinit*., VI, 10.

Super

Præpositio **super,** causam significat.

... hi pœnitentiam *super* Jonæ prædicationem egerunt... (ad pœnitentiam *inducti* Jonæ *prædicatione*). *In Psalm*. 121, 9.

II. — De præpositionibus cum ablativo junctis

A

Præpositio **a** cum ablativo juncta, interdum redundat[1].

... devoratus *a ceto* (Jonas)... non retentus *a monstro*... *In Matth.* 16, 2.

... *a morte*, tanquam elementi hujus monstro *glutiendus*... *In Matth.*, 16, 2.

... ut *a timore* Dei carnes suæ *configantur*... *In Psalm.* 118, 15, 13.

A cum ablativo jungitur in locutionibus quibus aliquod vocabulum necessarium subtrahitur.

... ut *creatio a sæculis* differre intellegeretur ab ea quæ ante sæcula... nativitas est... (creatio *quæ est* a sæculis). *De Trinit.*, XII, 49.

Præpositio **a** cum ablativo juncta, causam significat.

... at ubi eos (superbos) *ab humilitate* sancti viri superbia et *fastidium* tenuit, ex lacte coagulati sunt... (fastidium humilitate allatum). *In Psalm.* 118, 9, 7. Cf. Dræger, *Synt.*, I, 624.

Cum

Præpositio **cum** cum ablativo juncta, idem valet ac **secundum, ex.**

... scit esse quædam quæ *cum imperitis* atque impiis injusti eloquii habeant opinionem... *In Psalm.* 118, 16, 9.

De

Præpositio **de** cum ablativo juncta, locum genetivi tenet.

... si *de morte* erat metus (metus mortis)... *In Matth.*, 31, 5.

De inusitate jungitur cum verbo *confidere*, et ex abundanti verbo *exinanire* subjicitur.

... Petrus *de se confidens*, responderat... *In Matth.*, 31, 4.

... nec se *exinanierat de forma* gloriæ suæ... *De Trinit.*, IX, 39.

1. Cf. Gœlzer, p. 337.

De, idem interdum valet ac **præ**, **ob**.

... canes enim, *de* oblatrandi adversus Deum rabie, gentes sunt nuncupatæ... *In Matth.*, 6, 1.

... quærentibus a se, cum dæmonium ejicere non potuissent, respondit *de* inopia fidei effectum esse ne possent... *In Matth.*, 17, 1.

... sanctos *de* volatu spiritalis corporis aquilas nuncupavit... *In Matth.* 25, 8.

Idem valet etiam atque **ex**.

... accepisse autem formam servi eum qui esset in Dei forma, *de* (ex) contrariis comparatur. *De Trinit.*, X, 22. Cf. *Stix*, p. 3, 4.

... hæc igitur licet mutare *de* (ex) eo quod sint nullo modo possint... *De Trinit.*, II, 4. Cf. *Stix*, p. 17.

... non annuntiatus per angelum *de* Sancto Spiritu partus ex Virgine... *De Trinit.*, VI, 23.

Ex

Præpositio **ex** cum ablativo juncta, reperitur in locutionibus quibus aliquod vocabulum necessarium subtrahitur.

... (mens humana) creatorem suum *Deum ex Deo* discit... (Deum *ortum* ex Deo). *De Trinit.*, I, 10.

... dum regeneratio ad vitam spiritalem *mors* esset *ex vita*... (mors *ex vita* = mors *qua ex hac vita terrestri eximus*). *De Trinit.*, I, 13.

... (Paulus) *ex persecutore* Ecclesiæ dixit... (Paulus *ex persecutore* Ecclesiæ, *propugnator factus*). *De Trinit.*, IV, 39.

... non annuntiatus per angelum *de sancto Spiritu partus* ex Virgine... (partus *profectus* ex Virgine atque *ex* Spiritu sancto). *De Trinit.*, VI, 23.

... ad crimen confitendi *ex lumine luminis*... (luminis *orientis* ex lumine). *De Trinit.*, VI, 12.

... Hebion adversum Sabellium *euangelia* sibi *ex filio* Mariæ defendit... (euangelia *orta*, *profecta* ex Filio). *De Trinit.*, VII, 7.

... cum *cognitionem ex eo* patris ipsa illa differens ab eo conspecti hominis natura non præstet... (cognitionem *profectam* ex eo). *De Trinit.*, VII, 35.

... nec per nativitatem Dei amisit *ex se* Dei *natura* quod Deus est... (natura Dei *quæ est* ex se). *De Trinit.*, VII, 39.

... volunt extrinsecus *animam* non *ex Spiritu* deputare (Christo)... (animam non *manantem* ex Spiritu). *De Trinit.*, X, 22.

... apostolus videtur unius *ex uno nativitatem*... prædicaturus... (nativitatem unius, *profectam*, *ortam*, ex uno). *De Trinit.*, XII, 50.

... ut exitio illa a Deo, *nativitas* significata esse intellegeretur *ex Patre*... (nativitas *profecta* ex Patre). *De Trinit.*, VI, 31.

Sub

Præpositio **sub** cum ablativo juncta, ablativi solius locum tenet.

... loquatur Joannes... *sub sacramento* divinæ voluntatis relictus et deputatus, dum non neque non mori dicitur et manere... *De Trinit.*, VI, 39. Cf. *Stix*, p. 25, 26.

III. — De præpositione *in*

a) De præpositione *in* cum accusativo juncta.

Præpositione **in** cum accusativo juncta insolenter utitur S. Hilarius ut motum ad finem propositum indicet[1].

... *in has virtutes* post vitia illa *reviviscimus*... *In Psalm.* 11, 39.

... *adspiratus* est *in prophetam*... *In Psalm.* 130, 3.

... hic ipse... secundum hominem Jesum Christum *assumptus in eum* est... *In Psalm.* 134, 14.

... homo rursus *fiet in Deum*... *In Matth.*, 5, 15.

... corporis officium mens *in alias res occupata* non sequitur... *In Psalm.* 118, 19, 3.

... *unctus in regem* est... *In Psalm.* 130, 3.

... *in novum hominem* per peccatorum remissionem *renasci*... *In Psalm.* Instr. 11.

... ut omnes gentes baptizatæ atque doctæ, *regenerentur in vitam*... *In Psalm.* 2, 31.

... ex Deo Deus vel in Deo Deus nec deos duos perficit... nec *in solitarium Deum deficit*... *De Trinit.*, VII, 32.

... in hanc igitur spiritalem domum *ædificandi in regale genus* sumus... *In Psalm.* 51, 3.

... cum *in terræ iter* mare *aruit*... *In Psalm.* 65, 10.

1. Cf. Gœlzer, p. 348.

Ad hanc vocabulorum structuram accedere videntur :

1° **Erudire in** (cum accus.) ... *in cælestem scientiam* homo *eruditus es... In Psalm.* 118, 14, 18[1].

2° **Credere in** (cum accus.) ... ut *credamus in Dei Filium... De Trinit.*, VI, 48[1].

N. B. — Occurrit etiam **credere in** cum ablativo[2].

... quia *in verbis Dei credat... In Psalm.* 118, 11, 1.

Denique reperitur insolens locutio *manere in Deum*.

... ipso vero in Dei gloriam, id est, *in Deum* omnia in omnibus ex subjectionis dispensatione *mansuro...* (manere in Deum = transeuntem in Deum manere in Deo). *De Trinit.*, XI, 42. Cf. *Stix*, p. 35-36.

b) De præpositione *in* cum ablativo juncta.

Præpositio **in** cum ablativo juncta, sequitur nomen *ingressus*.

... *ingressu* Domini *in* Petri *domu* (in Petri domum)... *In Matth.*, 7, 6.

Præpositio **in** cum ablativo juncta, indicat motum ad locum vel ad finem propositum non secus ac si cum accusativo jungeretur.

... cum *in regno* cælesti *advenerit* (in regnum cæleste)... *In Matth.*, 21, 7.

... dehinc quia rerum subitarum *in Deo* (in Deum) non *cadit* nova repensque molitio... *In Psalm.* 67, 29.

... cum mors, postquam *in Deo* (in Deum) *esset grassata*, desineret... *In Psalm.* 68, 14.

... Samuel dignus *in ungendo rege* (ad ungendum regem) *deligitur... In Psalm.* 118, 5, 8.

Interdum redundat [3].

... et *in tempore* licet legis, hanc corporalem agens vitam... *In Psalm.* 53, 1.

1. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 349.
2. *Ibid.*
3. Cf. Gœlzer, p. 346.

... quia resumendi totius luminis *in tempore* pœnitentiæ sit facultas... *In Matth.*, 12, 10.

... et *in tempore* ipso, puellæ sanitas reddita est... *In Matth.*, 15, 2.

... ut *in* ipso crucis *tempore* diceret... *De Trinit.*, I, 31.

... hæc ergo hora est, *in qua* se a Patre clarificari orat... *De Trinit.*, III, 10.

CAPUT QUINTUM

DE VERBO

I. — De usu vocum

1° Duo verba activa vim neutralium habent.

Fumigare ... in eo autem quod tacti montes *fumigant... In Psalm.* 143, 11.

Scandalizare ... Petrus respondit, ceteris licet *scandalizantibus*, nunquam se *scandalizaturum... In Matth.*, 30, 3.

(Verbum *scandalizare*, activum est apud scriptores ecclesiasticos.)

Verbum **veneo** quod apud optimos scriptores activam formam, passivam autem vim habet, activum omni ex parte est apud S. Hilarium, et idem ac **vendere** valet[1].

... qui igitur duos passeres *veneunt*, se ipsos peccato minimo veneunt... *In Matth.*, 10, 18.

... pretiosi unguenti effuso alabastro conquestus est, tanquam id magis *veniri*[2] in sumptum inopum debuisset... *In Psalm.* 54, 17.

2° Tria verba neutralia, vim activorum habent.

Egere ... nemo enim nihil hoc *quod eget* postulat... *De Trinit.*, III, 12[3].

Fluere ... cum *fontem* petra *fluxit... In Psalm.* 51, 19.

Uti ... excedens hoc *quod* male *usus fuerat... In Psalm.* 122, 11[4].

3° Verbum deponens **speculari**, vim passivi habet.

1. Cf. Plaut., *Fragm. apud Diom ;* — Freund (*veneo*).
2. Inscript. Orell., n° 4388.
3. Plaut., *Menech.*, I, 2, 12.
4. Cf. Riemann, § 31 (1) p. 63; — Dræger, *Synt.*, I, 568.

... ex qua Christi *speculari* posset adventus... *In Matth.*, 22, 1.

Præterea nonnullis verborum deponentium participiis vis passiva subjicitur; hæc sunt:

Adhortatus ... omnibus quidem ad laudem divinam *adhortatis*... *In Psalm.* 149, 1. Cf. Neue, III, p. 28.

Consolatus ... si fuit tanquam *consolatus*, cum aversa est iniquitas... *In Psalm.* 125, 10. Cf. Neue, III, p. 90.

Conspicatus ... in sanctorum ad præsens *conspicatorum* resurrectione, mortis ipsius spolia detrahebat... *In Matth.*, 33, 7. Cf. Neue, III, p. 34.

Imaginatus ... erant autem hæc... futurorum speculo *imaginata*... *In Psalm.* 91, 5. Cf. Neue, III, p. 28.

Protestatus ... post illud divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei *protestatum* profundum... *De Trinit.*, VIII, 38. Cf. Neue, III, p. 94.

Recordatus ... sub pœna non *recordatæ* Jerusalem... *In Psalm.* 136, 10. Cf. Neue, III, p. 84.

II. — De usu temporum

Quod spectat ad usum temporum, emendate scribit S. Hilarius, quippe qui semel tantum *imperfecto subjunctivi* utatur pro *futuro* « *periphrastico* », et præsente pro *futuro*.

... discipuli *interrogant* quando hæc *fierent* (futurum sit ut hæc fiant)... *In Matth.*, 25, 2.

... sperat autem nemo se non *mori* (moriturum)... *In Psalm.* 58, 2.

III. — De usu modorum

ART. I. — DE ENUNTIATIONIBUS COMPLETIVIS

1° De enuntiationibus completivis quibus præponuntur *quia, ut, quod*

a) Cum quolibet verbo jungi potest vel tanquam *subjectum* (nomin.), vel tanquam *objectum* (accus.), enuntiatio cui præponitur **quod** cum indicativo [1]; quem S. Hilarius morem sæpe tenet [2].

1. Cf. Riemann, § 172, p. 272.
2. Cf. Stix, p. 17 et seq.

Sed in locum conjunctionis **quod,** conjunctionem **quia,** tum in *subjecto* tum in *objecto* supponit [1].

... non enim degenerat per nativitatem natura ne eadem sit; neque rursum *quia eadem est*, intellegentiam nativitatis *offendit... De Trinit.*, VII, 22 (quia eadem est = subject.).

... si autem in ea gloria donatur ei esse qua pater est, *habes* et in donantis auctoritate *quia major est... De Trinit.*, IX, 44 (quia major est = object.).

Immo etiam, in locum **quod** supponitur *ut* cum subjunctivo [2].

... regionem intellegentiæ excedit (is)... cui est *ut semper sit... De Trinit.*, II, 6 (ut semper sit = subject.).

... ipse (pater) ingenitus, æternus, *habens* in se semper *ut semper sit... De Trinit.*, II, 6 (ut semper sit = object.).

Pro **ut** reperitur **ne non** cum subjunctivo.

... quia veritas generationis nec patri *adimat ne non* Dominus sit... *De Trinit.*, IX, 27 [ne non (ut) Dominus sit = object.].

b) Enuntiatio completiva cui præponitur **quod**, verbis *declarandi* et *sentiendi* subjicitur, nunc cum subjunctivo, nunc cum indicativo et propositionis infinitivæ locum tenet; quæ vocabulorum structura apud priscos scriptores reperitur et cotidianum sermonem redolet [3].

Aio (cum subj.) ... superius *ait quod* super inimicos suos prudentior... *esset* effectus... *In Psalm.* 118, 13, 5.

Audire (cum subj.) ... cum enim *audit* Israel *quod* Deus unus *sit... De Trinit.*, IV, 42.

Confiteri (cum subj.) ... Patre de Filio *confitente quod* Deus noster *sit... De Trinit.*, IV, 37.

Existimare (cum subj.) ... neque rursum *existimandum est quod* patriarcha *nescierit... De Trinit.*, V, 17.

Ignorare (cum subj.) ... Si tu, hæretice, *ignoras quod...* Deum *viderit... De Trinit.*, V, 33.

Intellegere (cum indic.) ... *intellege quod* Dominus... et Dominus et justus judex *est... De Trinit.*, V, 16.

1. Cf. Stix, p. 20.
2. Cf. Stix, p. 21.
3. Cf. Riemann, § 172, p. 274, *b*; — Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 375 et seq.

Meminisse (cum subj.). ... *memento quod*... hunc eumdem solum justum judicem *sis* professus... *De Trinit.*, V, 16.

Negare (cum subj.) ... in Christo *negare quod* Deus *sit*... *In Matth.*, 12, 17.

Nescire (cum subj.) ... noli *nescire quod* ab ingenito et perfecto Deo... natus *sit*... *De Trinit.*, III, 20.

Nosse (cum indic.) ... ex Deo hoc solum *nosse quod* Deus *est*... *In Psalm.* 129, 1.

Observare (cum subj.) ... *observandum est quod* hic non legis sed mandatorum semitam esse *dicat*... *In Psalm.* 118, 5, 8.

Prædicare (cum subj.) ... nusquam Filium invenio ita *prædicatum* esse *quod* Deus *sit*... *De Trinit.*, VI, 7.

Putare (cum subj.) ... si quis exstiterit tam stultus et vecors ut *putet quod* alius ex se Deus in Deum quam Deum *formet*... *De Trinit.*, VIII, 46.

Respondere (cum subj.)... non sufficit *respondisse quod* rex *sit*... *In Psalm.* 2, 25.

Sentire (cum subj.) ... *sentisne quod* a se non *differat* caro spoliata... *De Trinit.*, IX, 11.

N. B. Occurrit circumlocutio **traditio est** cum indicativo, quæ idem valet ac **traditur.**

... antiquorum virorum ista *est traditio quod*... *existimandi sunt*... *In Psalm.* Instr. 3.

Reperitur etiam conjunctio **quia** nunc cum subjunctivo, nunc cum indicativo; hæc autem structura antiquitatem non redolet, sed a scriptoribus ecclesiasticis præsertim usurpatur [1].

Cognoscere (cum subj.) ... *cognoscat quia* per eum omnia et nos per ipsum; et extra temporis *sit* condens omnia intemporalis immensitas... *De Trinit*,, VIII, 40.

Docere (cum indic.) ... *docuit* exemplo *quia*... corporis crassitudo ex naturæ suæ lege vitiis effossa *erumpit*... *In Psalm.* 140, 12.

Ignorare (cum indic.) ... non propterea *ignorandum esse quia* Filius Dei *est*... *De Trinit.*, IV, 22.

Intellegere (cum subj.) ... non *intellegentes quia* Hominis Filius... quod semper manserat, *exstitisset*... *In Psalm.* 53, 8.

1. Cf. Riemann, § 194; *Rem.* IV, p. 327.

Meminisse (cum indic.)... *memento quia* Pater *est... De Trinit.*, III, 22.

Scire (cum indic.) ... *scit* enim *quia* tribulatio patientiam *operatur... In Psalm.* 53, 8.

2° De enuntiationibus quæ obliquam interrogationem continent

In obliquis interrogationibus, modum indicativum supponit S. Hilarius in locum subjunctivi, contra puri sermonis consuetudinem[1].

... ut *unde orta est* (sit), et quo evaderet impietas, nosceremus... *In Psalm.* 58, 2.

... sed videamus, his qui fines habitant, *cur timebunt* et unde illis metus ingruat... *In Psalm.* 64, 12.

... non ambigemus *quis* iste *erit* (futurus sit)... *In Psalm.* 65, 12.

... oportet autem cognosci quidem *quomodo* in requiem... pii et Deo subjecti *poterunt* introire (futurum sit ut possint)... *In Psalm.* 91, 9.

... non inquirit tantummodo, *in quo est* (sit) rerum absconditarum diligens inquisitio... *In Psalm.* 118, 17, 1.

... Demonstrandum autem in Euangeliis est, *ubi* et *probatus* et *cognitus est* (sit)... *In Psalm.* 138, 5.

... nescio *quomodo erit* (futurum sit) utile id expetere... *In Matth.*, 18, 2.

... *qui* tandem isti *sunt* (sint) non in obscuro est... *De Trinit.*, IV, 39.

... quære *an*, qui legem dederit Deus verus *est* (sit)... *De Trinit.*, V, 23.

... rogo *in quo* veritas *deperit* (depereat), et in *quo* infirma fides professionis *est* (sit)... *De Trinit.*, VI, 23.

... et vide *in quod* te, negando Filium Dei, Judaïcæ impietatis consortium *miscuisti* (miscueris)... *De Trinit.*, VI, 50.

... quæro *utrum* per fidem Dei unum *erat* (esset)... *De Trinit.*, VIII, 7.

... quæro nunc igitur *quomodo* non ex natura unum *sunt* (sint)... *De Trinit.*, VIII, 26.

... interrogo *quis est* (sit) carne se spolians... *De Trinit.*, IX, 11.

1. Cf. Rœnsch, p. 428 ; Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 355; *In Sulpic. Sev.*, p, 55-56.

... nescio *an* tam jucundum *est* (sit) ad vos... reverti quam securum est mori... *De Synod.*, 92.

... rogo *utrum* comitatu diversitatum *venient* (futurum sit ut veniant)... *De Trinit.*, VIII, 27.

3° De enuntiationibus completivis quæ cum infinitivo struuntur

a) In enuntiationibus completivis quæ cum infinitivo struuntur, structura quæ vocatur *personalis*, contra puri sermonis consuetudinem usurpatur [1].

... extra omnem peccati labem vivens hic *esse responsus est*... *In Psalm.* 14, 6.

... *vitia* corporis non *sunt sinenda* coalescere... *In Psalm.* 136, 14.

... *quidam* translatorum *interpretatus esse* ita *repertus est*... *In Psalm.* 131, 24.

... per quod *unaquæque* earum *significatur* in parte corporis, omne caput *unxisse*... *In Psalm.* 132, 5.

... non *ambigitur* autem *psalmus* ipse sacramentum passionis Domini *continere*... *In Psalm.* 68, 1.

... sub ara Dei martyrum *animæ proclamare scribuntur*, magna voce dicentes... *In Psalm.* 140, 1.

... sed per id quod interim fumare potuit, et *uri posse noscendus est*... *In Psalm.* 143, 11.

... *unigenitus Deus*... creatura *esse defenditur*... *De Trinit.*, XII, 1.

... Dei laudem *cantare præcepta est*... *In Psalm.* 149, 1.

... benedicitur *Ismael* et in gentem magnam *amplificandus esse promittitur* [2]... *De Trinit.*, IV, 24.

b) *Accusativus cum infinitivo* jungitur cum verbis *deprecari* [3] *metuere* [4].

... *liberari* se etiam ex odientibus se *deprecatur*... *In Psalm.* 68, 15.

... *metuit* enim *negari* se, si negaret... *In Psalm.* 118, 21, 1.

1. Cf. Riemann, § 178, p. 287-288; — Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 374; *In Sulp. Sev.*, p. 65 et seq.

2. Cf. Plin. apud Riemann, § 178, p. 288, d.: « bubonis oculorum *cinis* collyrio mixtus, claritatem oculis *facere promittitur*. »

3. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 372.

4. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 368.

4° De enuntiationibus completivis quæ cum conjunctione *ut* struuntur

Verbum **egere** struitur cum subjunctivo cui conjunctio **ut** præponitur.

... faciendorum cælorum sola misericordiæ suæ causa est; neque enim *eguit ut fierent*... *In Psalm*. 135, 8.

Idem dicendum de verbo **sperare.**

... *spero ut* ad emendationem proclives *sint*... *De Trinit.*, V, 15.

Reliquum est struitur cum conjunctione **ne** quæ conjunctionis **ut** locum tenet [1].

... estne adhuc temeritatis locus?... nisi id tantum *reliquum sit ne* impietas professa se *prodat*... *De Trinit.*, IV, 38.

Locutio **necesse est** (quæ apud optimos scriptores non jungitur cum conjunctione *ut* [2]) cum indicativo insolenter struitur [3].

... *necesse est* obœdiens eorum pænitentia insolentem eorum impænitentiam *judicabit*... *In Psalm*. 2, 44.

ART. II. — DE ENUNTIATIONIBUS NON COMPLETIVIS QUÆ ALIIS ENUNTIATIONIBUS SUBJICIUNTUR

1° De enuntiationibus quæ causam significant

In enuntiationibus quæ causam significant, conjunctio **cum,** cum modo indicativo struitur [4].

... testatur et Joannes non esse secundum carnem filios Abrahæ, *cum* et filii viperarum *sunt* (sint)... *In Psalm*. 52, 19.

... *cum* natura humanæ infirmitatis proclivis ad vitia *est* (sit), refugit tamen vel sub teste peccare... *In Psalm*. 118, 1, 8.

... sunt istiusmodi in Deo potestates, quarum *cum* ratio intellegentiæ nostræ incomprehensibilis *est* (sit), fides tamen... in absoluto est... *De Trinit.*, III, 5.

1. Cf. Riemann, § 186, p. 310.
2. Cf. Riemann, § 186, p. 311.
3. Cf. Riemann, § 191, p. 320.
4. Cf. Riemann, § 194, p. 327.

Contra conjunctio **quia**, cum subjunctivo struitur [1].

... hanc eorum cathedram, cathedram pestilentiæ propheta cognominat, *quia* contagione sua etiam voluntatem religiosæ mentis *inficiat*... *In Psalm.* 1, 10.

... neque ultra jam principes sacerdotum cognominari merebantur *quia* impii in Deum... *exstitissent*... *In Psalm.* 2, 8.

... perfecta bonitas in nullo est, *quia* eam naturalium perturbationum incentiva *demutent*... *In Psalm.* 52, 11.

... in eos ergo judicium est... *quia* magis tenebras quam lumen *dilexerint*... *In Psalm.* 1, 22.

... hæc est ergo in populis gentibusque confessio, *quia* magnificata usque ad cælos misericordia *sit*... *In Psalm.* 56, 9.

... si enim peccatores Deus sperneret, omnes utique sperneret, *quia* sine peccato nemo *sit*... *In Psalm.* 118, 15, 10.

Occurrit locutio **in eo quod**, quæ idem valet ac **quod, eo quod**, et cum indicativo struitur.

... illis, *in eo quod nesciunt*, potest adhuc in tuto salus esse si credant... *De Trinit.*, VI, 50. Cf. *Stix*, p. 16.

2° De enuntiationibus quæ id unum exprimunt quod consequitur

Enuntiationes quæ id unum exprimunt quod consequitur, cum conjunctione **ut** et modo subjunctivo strui solent [2]; apud vero S. Hilarium, in locum **ut** supponitur **quod** cum indicativo [3].

... fragmenta panum septem... explent virorum quatuor milia, *ita* tamen *quod* septem sportis præfractus panis... *abundavit*... *In Matth.*, 15, 6.

Reperitur etiam **in tantum ut** cum subjunctivo pro **adeo ut.**

... *in tantum* enim Deus benevolentiæ nostræ in omnes

1. Cf. Riemann, § 193, p. 324.
2. Cf. Riemann, § 197, p. 331.
3. Errat igitur Gœlzer qui putat *ita quod* pro *ita ut*, ante Sid. Apollinaris et Salviani tempora non occurrere. Cf. *Gœlzer*, p. 381.

delectatur affectu, *ut* misericordiam suam *sit* solis misericordibus præstiturus... *In Matth.*, 4, 6.

Ne cum subjunctivo reperitur in enuntiationibus quæ nullum exprimunt consilium, sed id unum quod consequitur.

... quod si Deus... profectum habeat ut plus sit aliquando, non potest tamen ad id pervenire *ne* sibi nihil *desit*... *De Trinit.*, XI, 44 (ne = ut non). Cf. *Stix*, p. 28.

... non est igitur Jesus Christus... in ea naturæ infirmitate *ne* nesciat... (ne = ut non). *De Trinit.*, IX, 66. Cf. *Stix*, p. 27.

... evacuare adversantem potestatem, hoc est jus potestatis auferre *ne* maneat... (ne = ut non). *De Trinit.*, XI, 32. — Cf. *Stix*, p. 9-10.

3° De enuntiationibus quibus præponuntur *quanquam, tametsi, quamvis, licet*

a) Modum subjunctivum supponit S. Hilarius in locum indicativi, in enuntiationibus quibus **quanquam, tametsi**[1] præponuntur.

... *quanquam* enim idipsum interdum imperite *fiat*... tamen... *In Psalm.* 63, 2.

... *quanquam* hic liber legis *sit*, prophetia tamen... *In Psalm.* 64, 7.

... et hoc propheta *quanquam* in voluntate sua *habeat*, tamen... *In Psalm.* 118, 15, 13.

... *quanquam* igitur superioribus libellis, de Deo et Deo... *docuerimus*, tamen... *De Trinit.*, VI, 8.

... *quanquam* igitur sola simplex confessio naturæ nomina *ostendat*... tamen... *De Trinit.*, VI, 26.

... *quanquam* ad id nos communis intellegentiæ sensus *impelleret*... tamen... *De Trinit.*, VIII, 4.

... nam *tametsi* pleraque in his talia *sint*... *In Psalm.* 138, 1.

b) Modus indicativus reperitur in enuntiationibus quibus præponitur **quamvis**[2].

... cujus *quamvis* intellegentiam usque ad absolutissimam

1. Cf. Riemann, § 200, p. 338; — Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 357.
2. Cf. Riemann, § 201, p. 339.

veræ pietatis professionem ex ipsis eorum doctrinis *præstabimus... De Trinit.*, V, 35.
... cibo illo *quamvis* in præsens *salvamur... In Psalm.* 64, 14.

N. B. Hic dupliciter peccat S. Hilarius : 1° dum utitur *indicativo ;* 2° dum *quamvis* in locum *quanquam* vel *tametsi* supponit[1].

c) Utitur etiam S. Hilarius vocabulo **licet** pro **quanquam**[2].
... *licet* paternæ nuncupationis proprietas *differat*, tamen natura non differt... *In Psalm.* 138, 17.

Quod deterius est, imperfecto subjunctivi **licet** præponitur[3].

... David enim, *licet fugeret*, non tamen incognitus erat... *In Psalm.* 141, 3.

4° De enuntiationibus tempus significantibus

Modum subjunctivum in locum indicativi sufficit S. Hilarius in enuntiationibus quibus *præponitur* conjunctio *temporalis* **cum**[4].

... tum vere quis loqui justitiam existimandus est *cum* judicium *retineat* veritatis... *In Psalm.* 57, 2.
... caret contumelia honoris officium... maxime *cum* adversatio ejus, plena confusionis *sit* et pudoris... *De Trinit.*, IV, 41.

In enuntiationibus quibus præponi solet **donec** cum subjunctivo, utitur etiam S. Hilarius conjunctione **donec cum** (apud priscos scriptores *donicum*[5]).

... silentium imperat, *donec cum* a mortuis *resurgeret... In Matth.*, 17, 3.
... hæc audiens hebui, neque credidi, *donec cum...* hujus similitudinis ratio prædicaretur... *Contra Constant.*, 14.

Reperitur etiam **quoad usque** (quoad).

1. Cf. Riemann, § 201, p. 340 ; *Rem.* II.
2. Cf. Riemann, § 202, p. 340.
3. Cf. Riemann, § 202, p. 340 ; *Rem.*
4. Cf. Riemann, § 218, *b*), p. 377.
5. Cf. Riemann, § 212, n. 5, p. 364 ; — Dræger, *Synt.*, II, 611.

... oculi ejus in eum, *quoad usque* misereatur... *In Psalm.* 122, 9.

Locutio **in eo quod,** quam supra[1] *causalem* esse dixi, est etiam *temporalis.*

... *in eo* autem ipso *quod* loquuntur (græce, ἐν ᾧ λέγουσιν), dum finiunt, jam non erit id unde cœperunt... *De Trinit.*, II, 15. Cf. *Stix*, p. 16-17.

Denique locutio **venit tempus**, cum conjunctione **ut** et indicativo struitur.

... ait Dominus *venisse tempus ut* non in monte vel templo Deus *est* adorandus... *De Trinit.*, III, 31.

5° De enuntiationibus relativis

Enuntiationibus relativis causam significantibus præponunt interdum optimi scriptores locutionem **utpote qui**[2]; apud vero S. Hilarium occurrit *namque qui* cum subjunctivo.

... infirmitates nostras suscipiens portansque peccata usu et consuetudine humanæ defatigationis locutus est, *namque qui* se somno et lassitudini *commiserit... In Psalm.* 68, 6.

Occurrit etiam locutio **ob quod** (eo quod, quod).

... aliqui eos Hebræorum in quinque libros divisos volunt esse... *ob quod* hi omnes psalmi in consummatione sua *habeant*, fiat, fiat... *In Psalm.* Instr. 1.

Denique reperitur locutio **per quod** (quamobrem, qua de causa).

... meminerit nulli mirum aut difficile videri oportere ut tantus propheta tanti prophetæ, postea licet futuri, nomen ediderit, cum in Regnorum libris Josiæ regis nomen sit, antequam nasceretur, prophetatum... *per quod* non incredibile esse oportere, ut Samuel a Moyse prædicatus sit... *In Psalm.* Instr. 4.

1. Cf. p. 111.
2. Cf. Riemann, § 221, p. 383; *Rem.* I.

6° De enuntiationibus comparativis

In enuntiationibus comparativis reperitur locutio **aliter quam ut** cum indicativo.

... loquendum ergo non *aliter* de Deo est *quam ut* ipse ad intellegentiam nostram de se *locutus est*... *De Trinit.*, V, 21.

7° De oratione quæ vocatur obliqua

Modo indicativo utitur S. Hilarius in incisis quæ in oratione obliqua includuntur, sed *pro scriptoris sententia* haberi non possunt [1].

... *dicens* magistrum se quocumque *ierit*, secuturum... *In Matth.*, 7, 8.

... cum enim *ait* omnia quæcumque *habet* Pater, sua esse... *De Trinit.*, VIII, 20.

... si... *in sensum* non *cadit* non fuisse antequam *nascitur*... *De Trinit.*, XII, 29.

1. Cf. Riemann, § 233, p. 411.

CAPUT SEXTUM

DE VARIIS VERBIS FORMIS QUIBUS VEL NOMINIS VEL ADJECTIVI NATURA INEST

I. — De infinitivo

a) Apud optimos scriptores, infinitivus nihil aliud est interdum quam *nomen* quod in nominativo casu vel in accusativo tantum poni potest[1]. Apud S. Hilarium in ablativo casu etiam ponitur.

> ... *excluso eo*, per id quod est semper natus, *non semper fuisse*, non cadit in sensum ut... *De Trinit.*, XII, 28.

(*Excluso eo* = cum *id* exclusum sit, (nempe) eum *non semper fuisse.*) Cf. *Stix*, p. 14.

b) Infinitus cum adjectivo **impotens** jungitur[2].

> ... *impotens* naturæ suæ *tenere* constantiam... *De Trinit.*, IX, 36.

c) Infinitivus verbo **habere** subjicitur, quod idem valet ac **debere**[3].

> ... Herôdes, principes sacerdotum ubi *nasci habebat* Christus, interrogat... *In Psalm.* 53, 8.
>
> ... puer in tribu ex qua *gigni habebat* electus... *De Trinit.*, IV, 36.

d) Infinitivus cum verbis **arcere, consternari, egere, exardescere, exspectare, obœdire, rogare,** insolenter jungitur.

1. Cf. Riemann, § 243, p. 445-446.
2. Cf. Kühner, II, 1, p. 504.
3. Cf. Riemann, § 182; *Rem.* II, n. 1, p. 298; — Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 369-370.

Arcere ... prohibitio enim ea demum est ut id quod fiebat, *fieri arceatur... In Psalm.* 118, 13, 8[1].

Consternari ... Filium mens *consternatur attingere... De Trinit.*, II, 8.

Egere ... non ille *eguit* homo *effici... De Trinit.*, II, 25.

Exardescere ... horum igitur furori *respondere* animus *exarsit... De Trinit.*, I, 17.

Exspectare ... *salvari exspectat* ab eo ad quem precatus est... *In Psalm.* 54, 10.

Obœdire ... homine ipso, in quo Deus *nasci obœdierat*, salvato... *In Psalm.* 53, 5.

Rogare ... et viam tribulatam quæ ad cælum agit *cognoscere rogat... In Psalm.* 142, 11.

e) Infinitivus sequitur verba motum significantia [2].

... hic est qui *venit tollere* peccata mundi... *In Psalm.* 129, 9.

... *venit* ligatos *solvere... In Psalm.* 136, 3.

... *venit audire* quam erat admirata sapientiam... *In Matth.*, 12, 20.

... dum *progrederetur orare... In Matth.*, 31, 1.

... omnes enim *currimus apprehendere... In Psalm.* 13, 4.

... *venit* enim mundum *vincere... In Psalm.* 67, 2.

II. — De gerundio

1° Nonnulla gerundia cum nominibus insolenter junguntur.

... ad flatum *respirationemque vivendi... In Psalm.* 67, 22.

... exprobrat... immundis spiritibus *nidos quiescendi... In Matth.*, 7, 10.

... quædam *circumscriptio opinandi... De Trinit.*, II, 7.

... *sic initia... nascendi* moliuntur... *De Trinit.*, II, 27.

... cum nativitas *natura nascendi* sit... *De Trinit.*, VI, 14.

... *profitendi* autem *contestationem* intellegentia veritatis elicuit... *De Trinit.*, VI, 34.

... *intellegentiam* corrupisse *credendi... De Trinit.*, VIII, 10.

... dum sibi ipse *origo nascendi* est... *De Trinit.*, IX, 7.

... quia nihil aliud ultra ad intellegentiam Dei *æternitate*

1. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 369 ; — Dræger, II, p. 346.
2. Cf. Riemann, § 245, *Rem.* I, p. 449 ; — Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 370.

procedendi, quam Deum semper esse semper occurrat... *De Trinit.*, XII, 24.

2° Gerundium in **-ndi** cadens, cum adjectivo *imbecillus* jungitur[1].

... *imbecilla* enim est per se aliquid *obtinendi* humana infirmitas... *In Psalm.* 118, 16, 10.

3° Gerundia **ad interficiendum, ad tentandum,** vim passivam habent.

... captata anima David est, cum *ad interficiendum* (ut interficeretur a Saüle) domo clausus est... *In Psalm.* 58, 3.
... scit Apostolus nos derelinqui *ad tentandum* (ut tentemur)... *In Psalm.* 118, 1, 15.

III. — De adjectivis quæ in -ndus cadunt

Adjectiva in **-ndus** cadentia, ad futuri temporis significationem non semel adducuntur[2].

... qui per impœnitentem voluntatem ipsi se constituent *urendos*... *In Psalm.* 2, 18.
... cum modo ac facilitate vasis figuli *comminuendos* populos intellegunt... *In Psalm.* 2, 22.
... constans postulatio *exaudiendæ* orationis ostenditur... *In Psalm.* 53, 6.
... a qua ira *eripiendos* nos Apostolus pollicetur dicens... *In Psalm.* 55, 7.
... igne judicii eos ut liquefactam ceram *auferendos* sequens sermo declarat... *In Psalm.* 57, 4.
... in igne autem *accendendo* futuri significatio continetur... *In Psalm.* 64, 8.
... cum licet ex infirmitate corporis anxius sit, non se solum tamen *relinquendum* in die passionis meminerit... *In Psalm.* 139, 2.
... os non *comminuendum* significaverat, sortitu vestem suam *obtinendam* denuntiaverat... *In Psalm.* 139, 12.
... benedicitur Ismael et in gentem magnam *amplificandus esse* promittitur... *De Trinit.*, IV, 24.

1. Cf. Dræger, *Synt.*, II, p. 833.
2. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 386; — *In Sulpic. Sev.*, p. 70.

IV. — De participio

1° Participium in **-rus** cadens, cum vocabulo *licet* jungitur, præter communem sermonis consuetudinem [1].

... ut tantus propheta tanti prophetæ, *licet futuri*, nomen ediderit.... *In Psalm.* Instr. 4.

2° Vocabula in **-ndi** et in **-ndo** cadentia, vim habent passivorum præsentis temporis participiorum quæ apud latinos desiderantur.

... nec *baptizandi* (ejus qui baptizatur) sub baptistæ professione virtus satis esse... existimatur... *De Trinit.*, VI. 23. Cf. *Stix*, p. 31-32.

... naturæ suæ cum eo, tanquam unigeniti, unitatem non ambigue docuit dicens : omnia quæ Patris sunt mea sunt; non enim ille *nunc de obtinendo* locutus est. *De Trinit.*, IX, 73. Cf. *Stix*, p. 6-7.

1. Cf. Riemann, § 262, n. 2, p. 477.

CAPUT SEPTIMUM

DE QUORUMDAM VOCABULORUM AC LOCUTIONUM USU INSOLENTIORE

I. — De Nomine

1° DE USU NOMINUM QUÆ *incorporalia* DICUNTUR

Neminem fugit Romanos in bene gerendis rebus cum publicis tum domesticis se totos semper collocasse, atque ideo liquidissimum sermonem adhibuisse, modice utentes iis nominibus quæ *incorporalia* a grammaticis dicuntur.

Dum prætermiserunt philosophiam complecti atque in rerum contemplatione versari, hanc consuetudinem servaverunt; ubi vero philosophiæ operam dedere, vi ac necessitate coacti sunt *incorporalibus incorporalia* nomina imponere, quod Tullio nonnunquam evenit, ut legenti ejus scripta perspicuum est.

Christus autem atque ii qui a Christo profecti sunt, multa induxerunt quæ *incorporabilibus* tantum nominibus exprimi possunt; quamobrem hujusce generis nomina sæpe apud S. Hilarium reperiuntur.

a) Multa sunt *incorporalia* nomina quæ in locum nominum non *incorporalium* supponuntur.

> ... sitque aut familiaris scientiæ, cognitam clavem cito ex copia illa congestæ in unum *varietatis* (rerum variarum) eligere... *In Psalm.* Instr. 24.

... secundum *nuncupationis* (viri nuncupantis) voluntatem, operum voluntate potiore... *In Psalm.* 1, 22.

... inter vagitus *infantiæ* (infantium) inter cunarum sordes... *In Psalm.* 13, 5.

... stultus esse, sicuti est, publici *ossensus* (assentientium) judicio argueretur... *In Psalm.* 52, 2.

... qui enim erant dæmonum *servitus* (servi), facti sunt Dei populus.., *In Psalm.* 52, 20.

... magnus est Dominus cum *dispersiones* (homines dispersos) congregat... *In Psalm.* 146, 6.

... quia descendenti ei ad assumendum hominem *famulatus* cælestis (famuli) adstiterit... *In Psalm.* 143, 10.

... arcanum futuræ *infidelitatis* ostenditur (virorum infidelium). *In Matth.* 33, 2.

... in pectus *duritiæ* gentilis (virorum durorum) quodam doctrinæ opere excisum Christus infertur... *In Matth.*, 33, 8.

... *universitatis* (rerum universarum) Dominum atque infinitatis parentem intra angustias metallorum et lapidum et stipitum coartabant... *De Trinit.*, I, 4.

... ut per id non relinqueretur *impietatis* (impiorum) calumnia... *De Trinit.*, I, 27.

... adversus venenata *infidelitatis* (infidelium) sibila... *De Trinit.*, V, 19.

... hæc *impietatis* (impiorum) stultitia fuit ut... *De Trinit.*, V, 26.

... unum Deum verum non apprehendit ignara euangelicæ et apostolicæ prædicationis *impietas* (impii)... *De Trinit.*, V, 35.

... et demonstratio operum, non *ignorationis* (virorum ignarorum) instructio est... *De Trinit.*, VII, 19.

... Filius est, non *adoptio* (adoptatus), et Deus est non *creatio* (creatus)... *De Trinit.*, VIII, 41.

... diversitatemque suam... *desolationis* (virorum desolatorum) querela... testetur... *De Trinit.*, X, 9.

... *novitas temporalis* (nova hominis natura), licet maneret in virtute naturæ, amiserat tamen cum forma Dei... unitatem... *De Trinit.*, IX, 38.

... ridiculæ hujus *perversitatis* (rei perversæ) error in majorem se impietatis audaciam se extendit... *De Trinit.*, X, 50.

... tali *severitatis* (viri severi) sententia confirmatus ad fidem est... *De Trinit.*, X, 27.

... ne si contenti *indulgentiæ* (rei concessæ) moderatione amittamus indulta... *De Trinit.*, X, 53.

... irreligiosis mundi, imperfectisque doctrinis per scientiam sapientis *omnipotentiæ* (omnipotentis)... contraire... *De Trinit.*, XII, 20.

... non habet necessitatem contradicendi sibi absoluta *perversitas* (viri perversi).., *De Synod.*, 52.

b) Multa vel gerundiorum vel adjectivorum in **-ndus** cadentium locum tenent et cum præpositionibus *ad*, *in*, junguntur.

... divinæ legis ordo ex illo elementorum cælestium... motu *ad belli moram* (ad bellum morandum) restitit... *In Psalm.* 51, 19.

... salutis hujus *ad fidei firmitatem* (ad firmandam fidem) noscenda est prophetia... *In Psalm.* 59, 6.

... cum exeuntes de corpore *ad introitum illum regni cælestis*... reservabuntur (ad introeundum ita in regnum)... *In Psalm.* 120, 16.

(firmamentum) valida *ad sustentationem aquarum* superiorum; *temperationemque aeris* nostri firmitate solidavit (*ad sustentandum... ad temperandum*)... *In Psalm.* 135, 9.

... qui *ad concupiscentiam* vidit (mulierem), jam mœchatus in corde suo est (ad concupiscendum)... *In Psalm.* 139, 7.

quid enim profecit inimicus Judam *ad voluntatem traditionis* inspirans?... *In Psalm.* 139, 11.

... omnibus *ad gratulationem ejus laudemque* commonitis (ad gratulandum... ad laudaudum)... *In Psalm.* 150, 1.

... ipsis se quodam modo corporibus exuerunt *ad ingressum* viæ talis oblatis (ad ingrediendum)... *In Matth.* 21, 2.

... claritatis reditum indicat... *ad collectionem sanctorum* destinatione Angelorum (ad colligendos sanctos)... *In Matth*, 26, 1.

... hoc solum quod esset, *ad protestationem* incorruptæ suæ *æternitatis* ostendit (ad protestandum)... *De Trinit.*, I, 5.

... usurpas, o hæretice, *ad confessionem* solitarii *Dei Patris* (ad confitendum)... *De Trinit.*, IV, 40.

... quinque etiam panes *ad cibum tantæ multitudinis* fregeratis (ad cibandum)... *De Trinit.*, VI, 33.

... Deus ergo nec ponit animam *ad mortem* (ad moriendum), nec resumit *ad vitam* (ad vivendum)... *De Trinit.*, X, 59.

... *ad consolationem nostram* est missus a Filio (ad nos consolandos)... *De Synod.*, 52.

... avem legimus in *pastum Eliæ* deputatam (ad pascendum)... *In Psalm.* 146, 12.

... parentum sedulitate confoti, exeunt *in volatum* (ad volandum)... *In Matth.* 24, 11.

... *in redemptionem* enim venisse domus David prædicabatur (ad redimendum)... *In Matth.* 21, 5.

c) Aliquot ejusdem generis nomina quibus **post** præponitur, pro verbis in modo personali positis junctisque cum conjunctione *postquam*, vel etiam pro participiis præteriti temporis subjiciuntur.

... *post sitis protestationem*... subjecit (postquam protestatus est se sitire)... *In Psalm.* 62, 4.

... *post creaturarum laudationem* (post laudatas creaturas). *In Psalm.* 149, 3.

... *post Judæorum insectationem*... Christus ad gentes... transit (postquam Judæos insectatus est)... *In Matth.*, 1, 6.

... *post* quinque millium virorum et *congregationem* et *satietatem* (postquam congregavit et satiavit)... *In Matth.* 14, 19.

... *post cognitionem legis* et prophetarum (post cognitam legem)... *De Trinit.*, I, 10.

d) Unum tantum nomen cui præponitur *usque in*, locum tenet verbi cui apponitur *adeo ut*.

... fragmenta panis... *usque* in duodecim cophinorum *plenitudinem* abundaverunt (adeo ut impleverint)... *In Matth.* 14, 11.

N. B. Unum nomen cui præponitur *cum*, pro ablativo absoluto subjicitur.

... *cum admiratione hominum* (admirantibus hominibus) præceptis ejus ventum et mare obœdisse... *In Matth.*, 8, 1.

2° DE USU NOMINUM QUÆ TANQUAM « ATTRIBUTA » SINGULARI MODO USURPANTUR

Apud Græcos nomina usurpantur interdum tanquam *attributa* cum participio ὤν; apud S. Hilarium eodem modo usurpantur, nisi quod abest participium, cum desideretur participium verbi *sum*.

1. Cf. Stix, p. 38 et seq.

... Angelus Domini ad Agar locutus est, idem ad Abraham *Deus* loquitur (Deus = θεὸς ὤν). *De Trinit.*, IV, 24.

... unus est mediator Dei et hominum (Christus), Deus et homo (Deus et homo = qui Deus est et homo, θεὸς ὤν καὶ ἄνθρωπος). *De Trinit.*, IV, 42.

3° DE USU NOMINUM « INCORPORALIUM » QUÆ CUM VERBO « ESSE » JUNGUNTUR

Nomina **incorporalia** cum verbo **esse** juncta, locum verbi passivi tenent.

... quia *significatio* et *cognitio* Patris in Filio *sit* per significationem in se Dei Patris (quia significatur et cognoscitur in Filio Pater). *De Trinit.*, XI, 33.

... *cognitio* itaque alterius in altero *est* (alter in altero cognoscitur). *De Trinit.*, VII, 5.

Idem dicendum de nominibus ejusdem generis quæ cum præpositione **in** junguntur.

... nec in solitarium Deum deficit, cum unus et unus *in significatione* non solus *sit* (esse in significatione = significari). *De Trinit.*, VII, 32. Cf. *Stix*, p. 32.

... quia nec nativitatis intellegentiam natura incorporalis admittat, et Dei ex Deo fidem unus tantum Deus *in confessione* (unus Deus prædicatus) dissolvat (esse in confessione = prædicari)... *De Trinit.*, VII, 2. Cf. *Stix*, p. 32.

II. — De adjectivo

1° DE ADJECTIVIS QUÆ TANQUAM « ATTRIBUTA » SINGULARI MODO USURPANTUR

Jam dixi[1] nomina more græcorum usurpari tanquam *attributa;* idem autem de adjectivis dicendum est.

... invisibilis enim et incorporeus et incomprehensibilis, utpote a Deo genitus, tantum in se et materiæ et humilitatis (Verbum) recepit... [invisibilis (ὤν), etc.]. *De Trinit.*, III, 3. Cf. *Stix*, p. 38.

... non enim... Filius qui via est et veritas et vita, mimis theatralibus ludit, ut in assumpto homine se Filium Dei

1. Cf. p. 123.

nuncupet, in natura vero Deum Patrem, et *unus* ac *solus* personali demutatione se nunc in alio mentiatur... (unus ὤν ac solus). *De Trinit.*, VII, 39. Cf. *Stix*, p. 40.

2° DE COMPARATIONE

Adverbium **magis** comparativo semel adjungitur[1].

... *promptior magis* spei nostræ quam divini sacramenti effectus est... *De Trinit.*, IX, 4.

3° DE POSSESSIVO « SUUS » ET PRONOMINE « SE »

Possessivum **suus** et pronomen **se** usurpantur a S. Hilario, contra communem loquendi consuetudinem[2].

... non enim concluditur fides *sua* sæculis... *In Psalm.* 118, 6, 7.

... in quibus cum opus *suum* sit, tamen et eorum quibus judicium et justitiam fecit, utilitas est... *In Psalm.* 118, 16, 4.

... sed ubi insidiæ sunt, ubi bellum est, opus est potioris auxilii, ne in *se* (in prophetam) dominetur omnis injustitia... *In Psalm.* 118, 17, 8.

... non utique ut hæc Deo proveniant optamus... ut voluntas *sua* (ejus) fiat... *In Psalm.* 134, 22.

... hæc autem e contrario precatio est, ut non virtutis *suæ* salus (prophetæ loquentis), sed salutis *suæ* virtus a Deo sit... *In Psalm.* 139, 10.

... sed magnificentiæ et virtutis *suæ* erat a nobis opus intellegendum... *De Trinit.*, I, 6.

... neque in familiam seminis *sui* (Abrahæ) per benedictiones fidei *suæ* renatus evadis... *De Trinit.*, V, 15.

... de manu *sua* (Patris) nemo rapit... *De Trinit.*, VII, 22.

... opus ergo *suum* testimonium est... *De Trinit.*, IX, 20.

omnia quæ Patris sunt, *sua* sunt (Filii)... *De Trinit.*, IX, 31.

... per id vero quod tristis est anima *sua* (Christi) usque ad mortem... volunt... *De Trinit.*, X, 22.

... dictum enim de corporis *sui* templo est... *De Trinit.*, X, 59.

... sacramentum *suum* est, et in tempore et in opere... *De Trinit.*, XI, 69.

1. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 400; — Kühner, II, p. 972, *Rem.* 7.
2. Cf. Riemann, § 9, p. 23-29.

CAPUT SEXTUM

DE VARIIS VERBIS FORMIS QUIBUS VEL NOMINIS VEL ADJECTIVI NATURA INEST

I. — De infinitivo

a) Apud optimos scriptores, infinitivus nihil aliud est interdum quam *nomen* quod in nominativo casu vel in accusativo tantum poni potest[1]. Apud S. Hilarium in ablativo casu etiam ponitur.

... *excluso eo*, per id quod est semper natus, *non semper fuisse*, non cadit in sensum ut... *De Trinit.*, XII, 28.

(*Excluso eo* = cum *id* exclusum sit, (nempe) eum *non semper fuisse*.) Cf. *Stix*, p. 14.

b) Infinitus cum adjectivo **impotens** jungitur[2].

... *impotens* naturæ suæ *tenere* constantiam... *De Trinit.*, IX, 36.

c) Infinitivus verbo **habere** subjicitur, quod idem valet ac **debere**[3].

... Herôdes, principes sacerdotum ubi *nasci habebat* Christus, interrogat... *In Psalm.* 53, 8.

... puer in tribu ex qua *gigni habebat* electus... *De Trinit.*, IV, 36.

d) Infinitivus cum verbis **arcere, consternari, egere, exardescere, exspectare, obœdire, rogare,** insolenter jungitur.

1. Cf. Riemann, § 243, p. 445-446.
2. Cf. Kühner, II, 1, p. 504.
3. Cf. Riemann, § 182; *Rem.* II, n. 1, p. 298; — Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 369-370.

Arcere ... prohibitio enim ea demum est ut id quod fiebat, *fieri arceatur... In Psalm.* 118, 13, 8[1].

Consternari ... Filium mens *consternatur attingere... De Trinit.*, II, 8.

Egere ... non ille *eguit* homo *effici... De Trinit.*, II, 25.

Exardescere ... horum igitur furori *respondere* animus *exarsit... De Trinit.*, I, 17.

Exspectare ... *salvari exspectat* ab eo ad quem precatus est... *In Psalm.* 54, 10.

Obœdire ... homine ipso, in quo Deus *nasci obœdierat*, salvato... *In Psalm.* 53, 5.

Rogare ... et viam tribulatam quæ ad cælum agit *cognoscere rogat... In Psalm.* 142, 11.

e) Infinitivus sequitur verba motum significantia[2].

... hic est qui *venit tollere* peccata mundi... *In Psalm.* 129, 9.
... *venit* ligatos *solvere... In Psalm.* 136, 3.
... *venit audire* quam erat admirata sapientiam... *In Matth.*, 12, 20.
... dum *progrederetur orare... In Matth.*, 31, 1.
... omnes enim *currimus apprehendere... In Psalm.* 13, 4.
... *venit* enim mundum *vincere... In Psalm.* 67, 2.

II. — De gerundio

1° Nonnulla gerundia cum nominibus insolenter junguntur.

... ad flatum *respirationemque vivendi... In Psalm.* 67, 22.
... exprobrat... immundis spiritibus *nidos quiescendi... In Matth.*, 7, 10.
... quædam *circumscriptio opinandi... De Trinit.*, II, 7.
... *sic initia... nascendi* moliuntur... *De Trinit.*, II, 27.
... cum nativitas *natura nascendi* sit... *De Trinit.*, VI, 14.
... *profitendi* autem *contestationem* intellegentia veritatis elicuit... *De Trinit.*, VI, 34.
... *intellegentiam* corrupisse *credendi... De Trinit.*, VIII, 10.
... dum sibi ipse *origo nascendi* est... *De Trinit.*, IX, 7.
... quia nihil aliud ultra ad intellegentiam Dei *æternitate*

1. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 369; — Dræger, II, p. 346.
2. Cf. Riemann, § 245, *Rem.* I, p. 449; — Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 370.

procedendi, quam Deum semper esse semper occurrat... *De Trinit.*, XII, 24.

2° Gerundium in **-ndi** cadens, cum adjectivo *imbecillus* jungitur [1].

... *imbecilla* enim est per se aliquid *obtinendi* humana infirmitas... *In Psalm.* 118, 16, 10.

3° Gerundia **ad interficiendum, ad tentandum,** vim passivam habent.

... captata anima David est, cum *ad interficiendum* (ut interficeretur a Saüle) domo clausus est... *In Psalm.* 58, 3.

... scit Apostolus nos derelinqui *ad tentandum* (ut tentemur)... *In Psalm.* 118, 1, 15.

III. — De adjectivis quæ in -*ndus* cadunt

Adjectiva in **-ndus** cadentia, ad futuri temporis significationem non semel adducuntur [2].

... qui per impœnitentem voluntatem ipsi se constituent *urendos*... *In Psalm.* 2, 18.

... cum modo ac facilitate vasis figuli *comminuendos* populos intellegunt... *In Psalm.* 2, 22.

... constans postulatio *exaudiendæ* orationis ostenditur... *In Psalm.* 53, 6.

... a qua ira *eripiendos* nos Apostolus pollicetur dicens... *In Psalm.* 55, 7.

... igne judicii eos ut liquefactam ceram *auferendos* sequens sermo declarat... *In Psalm.* 57, 4.

... in igne autem *accendendo* futuri significatio continetur... *In Psalm.* 64, 8.

... cum licet ex infirmitate corporis anxius sit, non se solum tamen *relinquendum* in die passionis meminerit... *In Psalm.* 139, 2.

... os non *comminuendum* significaverat, sortitu vestem suam *obtinendam* denuntiaverat... *In Psalm.* 139, 12.

... benedicitur Ismael et in gentem magnam *amplificandus esse* promittitur... *De Trinit.*, IV, 24.

1. Cf. Dræger, *Synt.*, II, p. 833.
2. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 386; — *In Sulpic. Sev.*, p. 70.

IV. — De participio

1° Participium in -**rus** cadens, cum vocabulo *licet* jungitur, præter communem sermonis consuetudinem [1].

... ut tantus propheta tanti prophetæ, *licet futuri*, nomen ediderit... *In Psalm.* Instr. 4.

2° Vocabula in -**ndi** et in -**ndo** cadentia, vim habent passivorum præsentis temporis participiorum quæ apud latinos desiderantur.

... nec *baptizandi* (ejus qui baptizatur) sub baptistæ professione virtus satis esse... existimatur... *De Trinit.*, VI. 23. Cf. *Stix*, p. 31-32.

... naturæ suæ cum eo, tanquam unigeniti, unitatem non ambigue docuit dicens : omnia quæ Patris sunt mea sunt; non enim ille *nunc de obtinendo* locutus est. *De Trinit.*, IX, 73. Cf. *Stix*, p. 6-7.

1. Cf. Riemann, § 262, n. 2, p. 477.

CAPUT SEPTIMUM

DE QUORUMDAM VOCABULORUM AC LOCUTIONUM USU INSOLENTIORE

I. — De Nomine

1° DE USU NOMINUM QUÆ *incorporalia* DICUNTUR

Neminem fugit Romanos in bene gerendis rebus cum publicis tum domesticis se totos semper collocasse, atque ideo liquidissimum sermonem adhibuisse, modice utentes iis nominibus quæ *incorporalia* a grammaticis dicuntur.

Dum prætermiserunt philosophiam complecti atque in rerum contemplatione versari, hanc consuetudinem servaverunt; ubi vero philosophiæ operam dedere, vi ac necessitate coacti sunt *incorporalibus incorporalia* nomina imponere, quod Tullio nonnunquam evenit, ut legenti ejus scripta perspicuum est.

Christus autem atque ii qui a Christo profecti sunt, multa induxerunt quæ *incorporabilibus* tantum nominibus exprimi possunt; quamobrem hujusce generis nomina sæpe apud S. Hilarium reperiuntur.

a) Multa sunt *incorporalia* nomina quæ in locum nominum non *incorporalium* supponuntur.

> ... sitque aut familiaris scientiæ, cognitam clavem cito ex copia illa congestæ in unum *varietatis* (rerum variarum) eligere... *In Psalm.* Instr. 24.

... secundum *nuncupationis* (viri nuncupantis) voluntatem, operum voluntate potiore... *In Psalm.* 1, 22.

... inter vagitus *infantiæ* (infantium) inter cunarum sordes... *In Psalm.* 13, 5.

... stultus esse, sicuti est, publici *ossensus* (assentientium) judicio argueretur... *In Psalm.* 52, 2.

... qui enim erant dæmonum *servitus* (servi), facti sunt Dei populus.., *In Psalm.* 52, 20.

... magnus est Dominus cum *dispersiones* (homines dispersos) congregat... *In Psalm.* 146, 6.

... quia descendenti ei ad assumendum hominem *famulatus* cælestis (famuli) adstiterit... *In Psalm.* 143, 10.

... arcanum futuræ *infidelitatis* ostenditur (virorum infidelium). *In Matth.* 33, 2.

... in pectus *duritiæ* gentilis (virorum durorum) quodam doctrinæ opere excisum Christus infertur... *In Matth.*, 33, 8.

... *universitatis* (rerum universarum) Dominum atque infinitatis parentem intra angustias metallorum et lapidum et stipitum coartabant... *De Trinit.*, I, 4.

... ut per id non relinqueretur *impietatis* (impiorum) calumnia... *De Trinit.*, I, 27.

... adversus venenata *infidelitatis* (infidelium) sibila... *De Trinit.*, V, 19.

... hæc *impietatis* (impiorum) stultitia fuit ut... *De Trinit.*, V, 26.

... unum Deum verum non apprehendit ignara euangelicæ et apostolicæ prædicationis *impietas* (impii)... *De Trinit.*, V, 35.

... et demonstratio operum, non *ignorationis* (virorum ignarorum) instructio est... *De Trinit.*, VII, 19.

... Filius est, non *adoptio* (adoptatus), et Deus est non *creatio* (creatus)... *De Trinit.*, VIII, 41.

... diversitatemque suam... *desolationis* (virorum desolatorum) querela... testetur... *De Trinit.*, X, 9.

... *novitas temporalis* (nova hominis natura), licet maneret in virtute naturæ, amiserat tamen cum forma Dei... unitatem... *De Trinit.*, IX, 38.

... ridiculæ hujus *perversitatis* (rei perversæ) error in majorem se impietatis audaciam se extendit... *De Trinit.*, X, 50.

... tali *severitatis* (viri severi) sententia confirmatus ad fidem est... *De Trinit.*, X, 27.

... ne si contenti *indulgentiæ* (rei concessæ) moderatione amittamus indulta... *De Trinit.*, X, 53.

... irreligiosis mundi, imperfectisque doctrinis per scientiam sapientis *omnipotentiæ* (omnipotentis)... contraire... *De Trinit.*, XII, 20.

... non habet necessitatem contradicendi sibi absoluta *perversitas* (viri perversi).., *De Synod.*, 52.

b) Multa vel gerundiorum vel adjectivorum in **-ndus** cadentium locum tenent et cum præpositionibus *ad*, *in*, junguntur.

... divinæ legis ordo ex illo elementorum cælestium... motu *ad belli moram* (ad bellum morandum) restitit... *In Psalm.* 51, 19.

... salutis hujus *ad fidei firmitatem* (ad firmandam fidem) noscenda est prophetia... *In Psalm.* 59, 6.

... cum exeuntes de corpore *ad introitum illum regni cælestis*... reservabuntur (ad introeundum ita in regnum)... *In Psalm.* 120, 16.

(firmamentum) valida *ad sustentationem aquarum* superiorum; *temperationemque aeris* nostri firmitate solidavit (*ad sustentandum... ad temperandum*)... *In Psalm.* 135, 9.

... qui *ad concupiscentiam* vidit (mulierem), jam mœchatus in corde suo est (ad concupiscendum)... *In Psalm.* 139, 7.

quid enim profecit inimicus Judam *ad voluntatem traditionis* inspirans?... *In Psalm.* 139, 11.

... omnibus *ad gratulationem ejus laudemque* commonitis (ad gratulandum... ad laudaudum)... *In Psalm.* 150, 1.

... ipsis se quodam modo corporibus exuerunt *ad ingressum* viæ talis oblatis (ad ingrediendum)... *In Matth.* 21, 2.

... claritatis reditum indicat... *ad collectionem sanctorum* destinatione Angelorum (ad colligendos sanctos)... *In Matth*, 26, 1.

... hoc solum quod esset, *ad protestationem* incorruptæ suæ *æternitatis* ostendit (ad protestandum)... *De Trinit.*, I, 5.

... usurpas, o hæretice, *ad confessionem* solitarii *Dei Patris* (ad confitendum)... *De Trinit.*, IV, 40.

... quinque etiam panes *ad cibum tantæ multitudinis* fregeratis (ad cibandum)... *De Trinit.*, VI, 33.

... Deus ergo nec ponit animam *ad mortem* (ad moriendum), nec resumit *ad vitam* (ad vivendum)... *De Trinit.*, X, 59.

... *ad consolationem nostram* est missus a Filio (ad nos consolandos)... *De Synod.*, 52.

... avem legimus in *pastum Eliæ* deputatam (ad pascendum)... *In Psalm.* 146, 12.

... parentum sedulitate confoti, exeunt *in volatum* (ad volandum)... *In Matth.* 24, 11.

... *in redemptionem* enim venisse domus David prædicabatur (ad redimendum)... *In Matth.* 21, 5.

c) Aliquot ejusdem generis nomina quibus **post** præponitur, pro verbis in modo personali positis junctisque cum conjunctione *postquam*, vel etiam pro participiis præteriti temporis subjiciuntur.

... *post sitis protestationem*... subjecit (postquam protestatus est se sitire)... *In Psalm.* 62, 4.

... *post creaturarum laudationem* (post laudatas creaturas). *In Psalm.* 149, 3.

... *post Judæorum insectationem*... Christus ad gentes... transit (postquam Judæos insectatus est)... *In Matth.*, 1, 6.

... *post* quinque millium virorum et *congregationem* et *satietatem* (postquam congregavit et satiavit)... *In Matth.* 14, 19.

... *post cognitionem legis* et prophetarum (post cognitam legem)... *De Trinit.*, I, 10.

d) Unum tantum nomen cui præponitur *usque in*, locum tenet verbi cui apponitur *adeo ut*.

... fragmenta panis... *usque* in duodecim cophinorum *plenitudinem* abundaverunt (adeo ut impleverint)... *In Matth.* 14, 11.

N. B. Unum nomen cui præponitur *cum*, pro ablativo absoluto subjicitur.

... *cum admiratione hominum* (admirantibus hominibus) præceptis ejus ventum et mare obœdisse... *In Matth.*, 8, 1.

2° DE USU NOMINUM QUÆ TANQUAM « ATTRIBUTA » SINGULARI MODO USURPANTUR

Apud Græcos nomina usurpantur interdum tanquam *attributa* cum participio ὤν; apud S. Hilarium eodem modo usurpantur, nisi quod abest participium, cum desideretur participium verbi *sum*.

1. Cf. Stix, p. 38 et seq.

... Angelus Domini ad Agar locutus est, idem ad Abraham *Deus* loquitur (Deus = θεὸς ὤν). *De Trinit.*, IV, 24.

... unus est mediator Dei et hominum (Christus), Deus et homo (Deus et homo = qui Deus est et homo, θεὸς ὤν καὶ ἄνθρωπος). *De Trinit.*, IV, 42.

3° DE USU NOMINUM « INCORPORALIUM » QUÆ CUM VERBO « ESSE » JUNGUNTUR

Nomina **incorporalia** cum verbo **esse** juncta, locum verbi passivi tenent.

... quia *significatio* et *cognitio* Patris in Filio *sit* per significationem in se Dei Patris (quia significatur et cognoscitur in Filio Pater). *De Trinit.*, XI, 33.

... *cognitio* itaque alterius in altero *est* (alter in altero cognoscitur). *De Trinit.*, VII, 5.

Idem dicendum de nominibus ejusdem generis quæ cum præpositione **in** junguntur.

... nec in solitarium Deum deficit, cum unus et unus *in significatione* non solus *sit* (esse in significatione = significari). *De Trinit.*, VII, 32. Cf. *Stix*, p. 32.

... quia nec nativitatis intellegentiam natura incorporalis admittat, et Dei ex Deo fidem unus tantum Deus *in confessione* (unus Deus prædicatus) dissolvat (esse in confessione = prædicari)... *De Trinit.*, VII, 2. Cf. *Stix*, p. 32.

II. — De adjectivo

1° DE ADJECTIVIS QUÆ TANQUAM « ATTRIBUTA » SINGULARI MODO USURPANTUR

Jam dixi[1] nomina more græcorum usurpari tanquam *attributa;* idem autem de adjectivis dicendum est.

... invisibilis enim et incorporeus et incomprehensibilis, utpote a Deo genitus, tantum in se et materiæ et humilitatis (Verbum) recepit... [invisibilis (ὤν), etc.]. *De Trinit.*, III, 3. Cf. *Stix*, p. 38.

... non enim... Filius qui via est et veritas et vita, mimis theatralibus ludit, ut in assumpto homine se Filium Dei

1. Cf. p. 123.

nuncupet, in natura vero Deum Patrem, et *unus* ac *solus* personali demutatione se nunc in alio mentiatur... (unus ὤν ac solus). *De Trinit.*, VII, 39. Cf. *Stix*, p. 40.

2° DE COMPARATIONE

Adverbium **magis** comparativo semel adjungitur[1].

... *promptior magis* spei nostræ quam divini sacramenti effectus est... *De Trinit.*, IX, 4.

3° DE POSSESSIVO « SUUS » ET PRONOMINE « SE »

Possessivum **suus** et pronomen **se** usurpantur a S. Hilario, contra communem loquendi consuetudinem [2].

... non enim concluditur fides *sua* sæculis... *In Psalm.* 118, 6, 7.

... in quibus cum opus *suum* sit, tamen et eorum quibus judicium et justitiam fecit, utilitas est... *In Psalm.* 118, 16, 4.

... sed ubi insidiæ sunt, ubi bellum est, opus est potioris auxilii, ne in *se* (in prophetam) dominetur omnis injustitia... *In Psalm.* 118, 17, 8.

... non utique ut hæc Deo proveniant optamus... ut voluntas *sua* (ejus) fiat... *In Psalm.* 134, 22.

... hæc autem e contrario precatio est, ut non virtutis *suæ* salus (prophetæ loquentis), sed salutis *suæ* virtus a Deo sit... *In Psalm.* 139, 10.

... sed magnificentiæ et virtutis *suæ* erat a nobis opus intellegendum... *De Trinit.*, I, 6.

... neque in familiam seminis *sui* (Abrahæ) per benedictiones fidei *suæ* renatus evadis... *De Trinit.*, V, 15.

... de manu *sua* (Patris) nemo rapit... *De Trinit.*, VII, 22.

... opus ergo *suum* testimonium est... *De Trinit.*, IX, 20.

omnia quæ Patris sunt, *sua* sunt (Filii)... *De Trinit.*, IX, 31.

... per id vero quod tristis est anima *sua* (Christi) usque ad mortem... volunt... *De Trinit.*, X, 22.

... dictum enim de corporis *sui* templo est... *De Trinit.*, X, 59.

... sacramentum *suum* est, et in tempore et in opere... *De Trinit.*, XI, 69.

1. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 400; — Kühner, II, p. 972, *Rem.* 7.
2. Cf. Riemann, § 9, p. 23-29.

... hic quod *suus* est, ad primogenitum est... *De Trinit.*, XII, 15.

... Filius itaque *suus* est qui est in homine et ex homine factura... *De Trinit.*, XII, 48.

Perraro contra utitur pronomine *se* loco pronominis *eo*, *eum*.

... sed nihil sine *se* fiebat, ex iis quæ in eo fiebant... *De Trinit.*, II, 20.

... tantum (Filius Dei) in se et materiæ et humilitatis recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intellegendum *se* et sentiendum... *De Trinit.*, III, 3.

III. — De pronomine

1° DE PRONOMINE DEMONSTRATIVO

Apud S. Hilarium pronomen **id ipsum** quod usitatissimum est apud scriptores ecclesiasticos[1], idem valet ac pronomen **idem**.

... quod quidem *id ipsum* et aliis propheta præmonuit... *De Trinit.*, IV, 38.

... non enim *id ipsum* est per Spiritum et in Spiritu dari... *De Trinit.*, VIII, 31.

... non enim *id ipsum* est, glorificari Filium hominis, quod et glorificari in Filio Hominis Deum... *De Trinit.*, IX, 41.

... neque enim *id ipsum* est, non natum atque nasci... *De Trinit.*, XII, 21.

... dum ipse ex unitis in *id ipsum* naturis, naturæ utriusque res eadem est... *De Trinit.*, IX, 3.

... *id ipsum* enim conditio vel creatio videtur intellegi... *De Synod.*, 17.

Hic (qui) usurpatur pro is (qui)[2]...

... sed *hi qui* hebræi sermonis scientiam consecuti sunt... prodiderunt .. *In Psalm.* 138, 43.

... cumque *his* libris *quos* regi idem translatores ediderant... *In Psalm.* 2, 3.

2° DE PRONOMINE INTERROGATIVO

Apud S. Hilarium **qui** idem valet ac *quis* interrogans.

1. Cf. Rœnsch, p. 424.
2. Cf. Riemann, § 16 *bis*, note 3, p. 41; — Gœlzer, *in Sulpic. Sev.*, p. 82.

... *qui* enim memoria *recenseat* antiquas... beatitudines...? *In Psalm.* 51, 19. Cf. Hartel, *Ennod.* Ind., p. 701.

3° DE PRONOMINE INDEFINITO

Alter in locum *alius* supponitur (apud nostros : *un autre*) [1].

... ut si psalmi alicujus superscriptio talis sit : *psalmus David*, ceteri qui sine titulo consequantur David esse credantur, donec cum prophetæ *alterius* nomen in superscriptione ponatur... *In Psalm.* Instr. 3.

Alius... alius supponitur in locum *alter... alter*, quando de duabus tantum rebus agitur [2].

... *demergi* eos linguasque eorum dividi rogat; quorum *aliud* (demergi) sub Noe, *aliud* (in linguas dividi), post ædificationem turris scimus effectum... *In Psalm.* 54, 11.

Quanti idem valet ac *quot*, *quam multi* [3].

... *quanti* enim sunt qui quædam humanæ vitæ instituta docere se asserant!... *Quanti* etiam sunt qui cognitionem se habere divinarum scripturarum mentientes hæretica et perversa dogmata prædicant!... *In Psalm.* 118, 11, 6.

Quisque idem valet ac *quisquis*, ut apud priscos scriptores [4].

... extra fidem Dei est, *quisque* extra hanc erit confessionem... *De Trinit.*, XI, 9.

Quisque in plurali numero positum, cum positivo jungitur [5].

... sunt ergo distantiæ in *singulis quibusque rebus*... *In Psalm.* 118, 3.

... licet postea de thesauris in se conditis secundum arbitrium potestatis æternæ *singula quæque* protulerit... *In Psalm.* 91, 4.

Quotidem opponitur pronomini *totidem*.

... *totidem* veritatis esse doctrinas, *quotidem* erunt studia falsitatis... *De Trinit.*, II, 22.

1. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 415-416.
2. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 417 ; — *In Sulpic. Sev.*, p. 89.
3. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 413-414.
4. Cf. Riemann, § 14, *Rem.* 3, p. 37 ; — Neue, I, p. 494 ; — Dræger, *Synt.*, I, 101.
5. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 410.

Opponitur etiam pronomini **tot**.

... ad formam enim futuri in *tot* partium milia plebs dinumerata satiatur, *quotidem* de partibus... concursura essent milia credituroram... *In Matth.*, 15, 10.

IV. — De adverbio

1° DE ADVERBIIS TEMPUS SIGNIFICANTIBUS

Adverbium **quando** (aliquando), jungitur cum conjunctione *cum*.

... *cum quando*, ipse in gloria Dei Domino suo conformis adstiterit... *In Psalm.* 1, 15.

... *cum quando* neque unio in prædicato Deo Patre et Deo Filio reperiretur... *De Trinit.*, VII, 8.

Adverbium **paululum** cui *post* præponitur, idem valet ac *brevi post tempore*.

... *post paululum* vero, ad transeundi facultatem aridus et exhaustus... *In Psalm.* 123, 6.

Adverbia **nunc, tunc** in locum adjectivi græco more aliquando supponuntur[1].

... cui (domino) post multum sermonem aquæ vivæ et quinque virorum et *nunc* (viri) ejus qui esset alienus, mulier respondit [nunc (viri) = τοῦ νῦν (ἄνδρος]... *De Trinit.*, II, 31.

... ipse autem universitatis nostræ in se continens ex carnis assumptione naturam, erat quod nos sumus, neque amiserat esse quod manserat, habens *ex nativitate tunc* et ex *constitutione nunc* Deum Patrem... (tunc = ὁ τότε; nunc = ὁ νῦν)... *De Trinit.*, XI, 16.

Superius pro *ante*, *supra*.

... beatitudines quas *superius* pro parte memoravimus... *In Psalm.* 51, 19.

1. Cf. Riemann, *Synt. lat.*, § 5, p. 15-16; — *Gram. grec.*, § 388, p. 317.

2° DE ADVERBIIS LOCUM SIGNIFICANTIBUS

Illic pro *illuc*.

... ut trans Oceanum habitet, ut deducatur *illic* manu Dei... *In Psalm.* 138, 20.

3° DE ADVERBIIS QUANTITATEM SIGNIFICANTIBUS

Adverbium **in quantum** opponitur adverbio **tanto plus.**

... *in quantum* hæc laudabuntur in Christo, *tanto plus* laudis... consequetur... *De Trinit.*, III, 15.

Opponitur etiam adverbio **tantum.**

... non enim *tantum*... immedicatæ ægritudinis populosa contagia desævierunt, *in quantum*... hæresis hæc funesta grassata est... *De Trinit.*, VI, 3.

Adhuc (ad hoc tempus, etiam nunc), idem valet ac *prætcrea*, *insuper*[1].

... sed meminit propheta, præter clamorem fidei, præter orationem... et aliud sibi *adhuc* opus consummandæ in se justificationis optandum... *In Psalm.* 140, 5.

... Orat autem *adhuc* et aliud, ne doctrinis videlicet peccatorum imbuatur... *In Psalm.* 140, 9.

Magis idem valet ac *potius*[2].

... ut pietas *magis* sit, non generis electio... *In Psalm.* 68, 33.

Valde adjectivo absoluto additur, ad formandum superlativum[3].

... propheta... hoc primum opus sensit ut humilis fieret. neque solum humilis sed *humilis valde*... *In Psalm.* 118, 14, 12.

4° DE ADVERBIIS INTERROGANTIBUS

1° In simplici interrogatione directa vel indirecta :

a) **Anne** (num, ne)[4] :

1. Cf. Gœlzer, *In Sulpic. Sev.*, p. 92 ; — Riemann, § 148, note, p. 225.
2. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 427.
3. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 427-428.
4. Cf. Riemann, § 173, *Rem.* II, p. 278.

... quæ hic humani sensus intellegentia est? *Anne*... in concavo aliquo et communito thesaurorum loco conditos esse ventos existimabimus?... *In Psalm.*, 134, 12.

... quæro *anne* non unum sit... *De Trinit.* VII, 25.

b) **Si** (ne, num)[1] :

... quæro *si* hoc angeli opus est... *De Trinit.*, V, 13.

2° In duplici interrogatione :

a) **An... an...** pro *utrum... an*[2] *:*

... cum diu erratum quæsitumque de Deo sit, *an* unus, *an* plures... *In Psalm.* 61, 2.

b) **Utrum... aut** pro *utrum... an :*

... interroganti... Joannis baptisma, *utrum* de cælo, *aut* ex hominibus putarent esse... *In Matth.*, 21, 10.

c) **Utrum... vel** pro *utrum... an :*

... quæro *utrum* alterius generis Deus est... *vel* exstantis de se exprimat formæ... *De Trinit.*, VIII, 46.

5° DE ADVERBIIS NEGANTIBUS

a) Locutiones **et nihil, nihilque, et nemo, et nullus, et non,** a S. Hilario interdum usurpantur, contra communem loquendi consuetudinem[3].

... *et nihil* (nec quidquam) auxilii, nihil remedii adesse tantis malis doleat... *In Psalm.* 13, 3.

... *nihilque* (nec quidquam) est quod non hæc divinorum ministeriorum frequentia incolat... *In Psalm.* 118, 1, 7.

... *et nemo* (nec quisquam) (animam) cognoscit... *In Psalm.* 141, 3.

... *et nulla* (neque ulla) ad resistendum... firmitate consistit... *In Psalm.* 51, 13.

... *et non* (nec) potest Deus nisi per Deum intellegi... *De Trinit.*, V, 20.

1. Cf. Gœlzer, *Saint Jérôme*, p. 430; — Riemann, § 173, p. 278.
2. Cf. Riemann, § 174, *Rem.* V, note 2, p. 280.
3. Cf. Riemann, § 268-269, p. 493-496.

b) **Ne... saltem** idem valet ac *ne... quidem*[1].

